EPISTOLA CRITICA

DE

ORATIONE PRIMA IN CATILINAM FRUSTRA A CICERONE ABIUDICATA.

EPISTOLA CRITICA

DE

ORATIONE PRIMA IN CATILINAM FRUSTRA A CICERONE ABIUDICATA.

SCRIPSIT

PETRUS EPKEMA.

AMSTELODAMI,
APUD J. D. SYBRANDI.
1857.

ARNOLDO EKKER,

GYMNASII RHENOTRAIECTINI RECTORI,

S. P. D.

PETRUS EPKEMA.

Quum operam dare constituissem, ut monumentum vetustatis audacibus manibus temere eversum restituerem, cogitanti cui potissimum opusculum meum offerrem, tu sponte mihi occurrebas eo munere dignus, quocum non affinitatis solum amicitiaeque vinculis sum coniunctus, sed quocum maxima semper mihi fuit studiorum ac voluntatum omnium consensio. Meministi enim profecto, mi frater, quum nuper disputatio prodiisset Rinkesii V. D. *de abiudicanda prima Ciceronis in Catilinam oratione*, quanto hac fama et nos et nobiscum alii cum dolore afficeremur, tum vero admiratione. Mirabamur enim, unde adolescens, qui specimen academicum hoc ederet, tantam doctrinam nactus esset ac sagacitatem, ut quae per omnia secula summos viros vitia latuissent, ea post paucorum annorum eruditionem tam acute indagare posset tamque certo convincere, ut abiudicandam eam orationem esse adeo audacter profiteri auderet. Dolebamus autem, cui uni de quatuor vel exterorum criticorum avidae manus pepercissent, quae sola adhuc superstes de ceterarum clade (quamquam nondum sepultas esse gaudeo, si quando reviviscant) aliquo modo certe nos consolari posset illarumque memoriam referre, hanc iam a Batavo sine misericordia super

sororum cadavera obtruncatam esse, totamque ita ab stirpe gentem interiisse. Sic igitur cum ceteris mirabar primo et dolebam: postquam vero ad legendum animum appuli, leniri subinde dolorem sentiebam admirationemque temperari, quum mox, quamvis in introductione multa lectu digna reperirem nec sine eruditione quadam scripta, quaedam se mihi offerrent, quae non proderent eximiam illam, quam exspectabam, sagacitatem, non pauca etiam, quae a stilo Tulliano, atque a bona latinitate tantopere abhorrerent, ut suspicari inciperem a tali manu haud magnum Ciceronis filiolae periculum fore metuendum. Obstabat tamen huic spei, quod in praefatione non a se dissertationis argumentum inventum esse dixisset, sed ad praeceptorem suum ac promotorem inventionis laudem referendam esse. Quodsi vere a Bakio, Viro Celeberrimo (cuius et ipsi, ut meministi, disciplina olim frui mihi contigit, cuiusque in omni genere literarum singularem admiratus sum doctrinam atque elegantiam) profecta argumenta essent, quibus abiudicandam orationem esse demonstraretur, verebar ne frustra intermortuam tentaremus in vitam revocare, nosque omnes, lugentes quamvis, ultimae Catilinariarum exsequias prosequi cogeremur. Sed quum ad ipsam orationem accessissem, atque argumenta illa accurate coepissem examinare, nusquam fere, quod laetabar, Bakii illius, qualem auditor cognoveram, manum agnoscere potui, et persuasum mihi habebam discipulum aut quae a praeceptore triennio ante tradita essent non satis tunc intellexisse, aut tempore in eorum oblivionem adductum, quod iam sine cortice nare posse sibi videretur, quae infida memoria ei non suppeditaret suo ipsum arbitrio exposuisse. Quidquid rei est, quo ulterius legendo progrediebar, eo magis mihi dolor metusque indignationi cedebat et contemtui, neque aliud in me huius inepti libelli lectio effecit, nisi ut numquam magis Ciceronem huius orationis auctorem esse persuasum mihi fuerit. Nec me solum, sed te ipsum et alios quoque eodem, disputatione lecta, affectos animo esse laetus cognovi, in quibus Bootium, Vir. Clariss., Rinkesii quondam, ut nosti, in gymnasio Leovardiensi praeceptorem, literis ab eodem provocatum, etiam responsionem parare audiebam ad male impugnatam orationem defendendam. Gaudebam, quum tantam

Ciceronis memoriae iniuriam, tantam vim latinis literis impune fieri non ferendum putarem, ipse autem ex privata mea disciplina plurimis, ut scis, occupationibus impedirer, vindictae munus ab eo susceptum esse, cui et ceteroquin id bene mandatum existimarem, quique praeterea id suo iure quodam modo facere videretur. At sive ille quem discipulum olim dilexisset indulgentius tractandum esse putavit, sive nimia festinatione illud opus confecit, quamquam multa quidem recte castigavit et redarguit, plura tamen reprehensione digna omisisse mihi videbatur, quaedam etiam minus bene ipse exposuisse. Quum ergo nequaquam absolutam quaestionem esse neque honorem suum orationi restitutum viderem, ab altera autem parte a multis disputationem illam summis laudibus efferri audirem, nec dubitari quin *actum esset de luculenta illa oratione:* indignationem non ferens aestivas ferias, quas animo corporique recreandis alias me dare nemo facile invideat, nunc huic operi impendere decrevi. Cuius fructum laboris iam munusculum tibi offerens typis describendum divulgandumque sum curaturus, et tuo et ceterorum latinis literis bene cupientium iudicio relinquens, numquid de illis literis bene meritus esse atque operae pretium fecisse videar.

Sed ne forte mirere alteram continuo disputationis partem me aggredi, priorem, in qua tamen etiam quaedam mihi obesse dixerim, intactam relinquere, huius rei causas breviter tibi exponam. Primo enim vindicias meas, quas in commentarii formam redegi, ut non solum quae ficta crimina delata essent diluerem, sed ubi opus esset meam ipse apponerem interpretationem, eamque aliis veterum et ipsius Ciceronis maxime locis probare conarer, in tantum auctas esse videbam, ut, quum iam commentarii modum longe excederent, ne nimium lectores fatigarem, plura quidem addenda non esse intelligerem. Deinde, quo facilius illo labore supersederem, quum externa argumenta, de quibus ingeniosius saepe quam verius excogitatis ad utramque partem disputari plerumque potest, aliquam interdum probabilitatem, certum indicium fere nunquam afferre soleant, multo minoris ea momenti esse ducebam, quam ipsam orationem, ex qua, nisi fallor, abunde hoc demonstrari potest, non

ineptum quemdam et ridiculum declamatorem, sed ipsum Ciceronem eius auctorem esse. Tum in hac parte felicius, ut mihi videtur, quam in altera elaboravit Bootius, in cuius sententia, paucis quibusdam exceptis, facile acquiesco.

Iam igitur opus aggressuro plura praefari supervacaneum est; ex ipso enim quid et qua ratione sim acturus, cognosces. Adnotationis autem Rinkesii, ut par est, ordine ducar, missis tamen iis, quae in principio *de inscriptione* disputavit, quia a nostro proposito aliena videbantur. Nam quae dicit: „Si Cicero unquam edidit Catilinarias, certe eas non inscripsit omnes: *Orationes in Catilinam*" cet., non tam ad hanc orationem pertinere, quae sane *in Catilinam* inscribenda est, quam ad introductionem existimo, ubi de omnibus agitur. Ergo in hac adnotatione quidem dicere non debuit: „ut mihi videtur iam inscriptio ipsa falsarium prodit." Quamquam omnino periculosum esse ex inscriptionibus tam audacter de auctore iudicium facere, Homeri *Ilias*, Aristotelis *Metaphysica*, Horatii *ars poëtica*, alia aliorum scripta testari possunt. Sed neque illa vere addere mihi videtur: „etiamsi coniunctim editae essent, tamen uno nomine difficile comprehendi possent, quod *de personis et argumentis diversis* essent conscriptae." Nego enim *diversi argumenti* esse quae omnes agant de coniuratione Catilinaria, nec minore iure has uno nomine *Catilinarias* dici contendo, quam *Philippicas*, quas quatuordecim Cicero contra Antonium edidit orationes. Sed his missis, ut dicebam, ad ipsam orationem veniamus. Hoc unum tamen praemonendum etiam habeo, ne omnibus locis quos intactos me reliquisse videas assentiri me Rinkesio existimes, sed quaecunque a Bootio vindicata satis mihi visa sint, silentio fere in eius me iudicio acquiescere.

CAPUT I.

Quae brevia singulis fere capitibus argumenta praemittere solet Rinkesius, si bene attendes, non tam eo consilio scripta esse reperies, ut verum totius loci conspectum lectoribus praebeat,

quam ut ridendo cavillandoque oratoris verba legentium animos praeoccupet et quasi praeparet ad ea deinde aequiore animo accipienda, quae in singulis partibus vitiosa esse persuadere iis cupiat. Ridendo autem vera dicere nec mihi displicet et ingeniosus poëta quominus istud fiat nihil vetare docuit, modo vera non ficta loquare; sic enim malignus fit iste risus, si non quo melius doceas, verum quo noceas magis eo abutaris. Cui vero, qui non plane in hac oratione peregrinus est, non ridicula potius quam vera videntur, quae statim in initio dicit: „Post nonnullas exclamationes de furore Catilinae senatus et consules accusantur, quod nihil contra Catilinam *facere audeant*; mox sequitur senatui in ea re nihil esse imputandum;" et sic porro: quis, dico, in his orationis illius exordium potest agnoscere? Quam parum perspexit oratoris sententiam § 6. (aut perspicere voluit) quum ita cavilletur: „praeclare de Catilina *actum est*, qui non interficietur, quamdiu quisquam erit, qui eum defendere audeat." Quam falso quae in eadem § sequuntur his verbis exponit: „*Interea* vero Catilina ita vivet, ut vivit, multis Ciceronis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere se contra rempubl. possit: *quod quo melius fieri possit*, a consule paullo post iubetur ut ex urbe exeat!" De quibus omnibus suo loco ulterius dicetur. Talia autem ad risum captandum potius dicta vides, quam ut vere et accurate rem exponat, et sic fere per totam orationem pergit, ut mirandum tibi vix possit videri, si interdum bilis mihi commoveatur. Iam vero ad singula veniamus.

§ 1. *Quousque tandem — patientia nostra?* Non negat quidem Rinkesius hoc initium a Quinctiliano laudari, sed ut testimonium infirmet, addit eundem alio loco *tale initium in universum carpere:* „quosdam in totum a prooemio summovere sermonem a persona iudicis aversum, quae ἀποστροφή dicitur, *quod licet aliquando fieri bene possit, passim faciendum non est.*" Vix opus est monere, postrema verba non esse Quinctiliani: cetera tamen ita illius sunt, ut ad hunc locum nihil omnino pertineant. Neque enim ad iudices oratio est, sed invectio in Catilinam, sive eius praesentiam timebat consul, sive ira commotus erat

ob impudentiam (Sall. B. C. c. 31). Hunc igitur maxime eius verba petunt, ad eum tota fere oratio conversa est, nisi quod interdum senatores alloquitur, non tanquam iudices, verum ut testes faciat eorum quae dicit, atque etiam Patriam et Rempublicam loquentes inducit. Quare vereor, ne ἐπιστροφὴ potius quam ἀποστροφὴ sit dicenda.

tandem. „Hujus particulae haec vis est, ut in urgendo ponatur, i. e. quum iam alia dicta sunt." Rink. Ergo in media demum sententia incipiendum est aliquem urguere? Idem Quinctilianum laudat, qui *tandem* h. l. non sciscitandi gratia, sed *instandi* assumi dixerit. Mox vero sentiens eum hunc locum laudando sibi adversari, rursus addit: „Sed *tandem* ea significatione non posse adhiberi in initio orationis iam viderunt Donatus et Priscianus," qui tamen nihil eiusmodi dicentes cum Quinctiliano consentiunt, nisi quod *tandem* expletivam coniunctionem vocent. Donatus ad Terentii verba (Phorm. II, 1, 1): *Itane tandem uxorem duxit* cet. etiam illa adnotat: „Non potuit vehementius incipere, quam ut ipse crimen quod obiicit miraretur." Id ipsum est, quod in hoc exordio admiramur, neque aptiora quidem verba excogitari possunt ad animi commotionem consulis exprimendam, qui postquam impudentissimum hominem praeter omnium opinionem senatum intrantem vidit, contra ipsius consilia convocatum, et quamvis reus lege Plautia esset (Sall. l. l.) senatoribus adsidentem, iram suam atque indignationem non continens, vehementissime in eum invehitur, atque ut par est primum audaciam impudentiamque eius miratur, qui quum supplicio dignus sit, audeat in senatum venire, deinde alia crimina, tam privata quam publica, ei obiicit, et coniurationis patriaeque proditionis eum convincit.

patientia nostra. „Cuiusnam? ut ex iis quae proxime sequuntur apparet, *nostra* referendum *esse* ad senatores. At de senatoribus sermonem esse non oportuit; nam illi remp. permiserunt consulibus." R. — Etiamne igitur illi animi affectus suos, indignationem iramque consulibus permiserant? Quos ipsos, quam impatienter incredibilem illam impudentiam ferrent, haud ob-

scure significasse videmus § 16. Quo viso consul (hinc enim dicendi initium fecisse videtur) iure ita incipere potuit: *quousque tandem abutere patientia nostra?* non potuit iure, quod Rinkesio videtur, rogare Catilina: *cujusnam patientia?* quo facto *actum fuisse* putat *de pulcherrimo illius orationis initio et de tota oratione*, quae absurdiora existimo, quam ad quae serio responderet Bootius. Mihi ridendi tantum causa illud excogitasse videtur, quo simul facete dictum quoddam ex Plinio laudandi occasionem nancisceretur. Tum oblitus esse videtur, *tandem* non interrogandi h. l. particulam esse, verum *instandi*, ita ut locus non esset Catilinae, ut *uno vocabulo Ciceroni responderet.* Eadem etiam oblivio eum cepit, quum ad vocab. *audacia* haec notaret: „facilius erat, ni fallor, consuli, Scto illo munito, respondere his *interrogationibus*, quam Catilinae; *nempe* quamdiu ipsi consuli videbatur." At ipse in argumenti initio *exclamationes de furore Catilinae* vocavit. Vides quam parum ille veritatem curet, dum risum captare possit.

Nihilne te nocturnum praesidium — moverunt? „*Sensus* perquam obscurus priori sententiae *inest.* Ad *quod* enim movendus erat Catilina?" R. — Recte Bootius vim verbi *movere* exemplis illustravit; ceteras vero non castigavit ineptias: „Ex iis quae praecedunt putares, oratorem velle, ut coniurationem missam faceret; ex tota oratione, ut urbem relinqueret." Si talis in praecedentibus sententia lateret, et mihi obscure locutus orator videretur; sed pergit, ut inceperat, eius audaciam perstringere, qui ne his omnibus quidem absterritus sit, ne in senatum veniret. Quo modo autem ex tota oratione indicari possit, oratorem his verbis permovere eum velle, ut urbem relinquat, me non capere fateor. Quod tamen ipse etiam intelligere videtur continuo addens: „quodsi hoc *verum* est, nihil illa verba significant." Atqui significare aliquid Bootius docuit: ergo quod ille putavit verum non est. Deinde ad illud redit: „Sin illa contra ita accipienda sunt, ut coniurationem missam faciat, non video quid sibi velit *moverunt; tunc* per praesens legendum est *movent*, ut in seqq. *sentis, vides* cet.; antea enim non ausus est senatus quidquam gravius in Catilinam decernere." Haec ter

quater lecta nullo modo tamen penitus intelligere potui, et quaqua ratione tentabam, absurda semper sententia efficiebatur; tale quid enim dicere videtur. Propter ea quod senatus adhuc nihil gravius in Catilinam decrevit, idcirco quae a Coss. ex Scto acta sunt (praesidium, vigiliae) quaeque paullo ante in senatu ei acciderunt, non acta sunt neque acciderunt, sed iam *aguntur et accidunt*, nec quidquam eum *movent*. Quid autem commune hoc verbum habeat cum *sentis*, *vides*, frustra indagavi: tu, si in aenigmatibus solvendis felicior es, tenta.

horum omnium conscientia. „Rem — *inaccurate* exponit declamator — erant enim in senatu, qui cum Catilina apud M. Laecam convenerant." R. — Demonstrare possem, horum praesentia magis etiam constrictam teneri coniurationem, quos testes consul, si usu veniret, in Catilinam posset adhibere, ut ipsum dicentem audimus § 8. „Num negare audes? quid taces? convincam si negas; video enim hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt." Sed ne forte mihi obiiciat: *quid, si et hi tacerent?* Sallustium testem invocabo, qui c. 31. de eodem hoc conventu agens dicit: „Ad hoc maledicta alia quum adderet (*Catilina*), obstrepere *omnes*, hostem atque parricidam vocare." Quod nisi probaverit Rinkesius, senatores illos, qui Laecae domum convenissent, ante abiisse, aut eiusdem negligentiae Sallustium, aut se ipse calumniae in declamatorem damnare debebit. Sed sciat non a Sallustio tantum, sed a Cicerone aliisque scriptoribus saepissime *omnes* ea sententia usurpari, ut non de toto numero, sed de maiore parte dicatur, ut supra *concursus bonorum omnium*, § 12. *vitam omnium civium*, quo loco plura huius generis exempla colligam.

§ 2. *O tempora! o mores!* „Notissima est haec exclamatio, nostro loco inepte et insulse posita. Martialis Ciceronem ea usum fuisse sic indicat:

Dixerat o mores, o tempora, Tullius olim
Sacrilegum strueret cum Catilina nefas.

Nec defuit *tamen* qui locum aptum fuisse diceret huic acclamationi in Catilina perterrendo." R. — Non intelligo quo consilio

hos Martialis versus laudet, qui, ut recte etiam Bootio videtur, hunc locum confirmant, quod ne ipse quidem R. negat, nisi forte idcirco adversari eos h. l. opinatur, quod ille inverso ordine has exclamationes posuerit. Iam igitur quaero, quo referenda sit particula *tamen*, quum in his nihil esse videam cui opponi illa possit (nam metri causa *o mores* anteposuisse Martialem puto eum videre) nisi priora ipsius Rinkesii verba? Ergo hoc eum dicere apertum est: etsi ego dico, hanc exclamationem *inepte* et *insulse* esse positam, tamen non defuit, qui diceret cet. Idem igitur arrogare sibi ipse videtur, quod Pythagorae tribuere discipuli solebant, ut etiam sine ratione auctoritas valeret.

in senatum venit, fit publici consilii particeps. Dubitat R. et recte quidem, *consilii publici participem fieri*, an dici possit pro *in senatum venire*, et eleganter addit: „sed etiamsi dici posset, *nihil* significaret, *quam* illa, quae praecedunt." Nullam autem in his tautologiam esse, recte docuit Bootius. Sed pergit ille: „quae igitur huic *periodo inesse* videtur gradatio, omnino perit; immo additis: *notat et designat oculis* cet. absurda est; nam ut hoc faceret Catilina, non opus erat in senatum venire, quin etiam illam notationem tuto potuerat omittere, si *unumquemque* i. e. *omnes senatores* ad caedem designare vellet." Primo discere cupio, quo modo gradatio, quae non adsit, *perire* possit, et qua tandem ratione rursus quibusdam verbis additis eadem *absurda fiat?* Tum vero esse in his gradationem contendo, eandem, quam legimus § 16, ubi memorat orator eum *in senatum venisse* ac deinde *senatoribus adsedisse.* Sic demum *publici consilii particeps* fiebat; neque eo consilio quidem, ut rei publicae saluti consuleret; sed ut quid ageretur cognosceret, senatoresque aut sua praesentia a fortibus decretis deterreret, aut si ipsius minas contemnere auderent, qui eorum tollendi essent, constitueret. Sic enim interpretanda illa existimo: *notat et designat oculis* cet. Neque *unumquemque* accipio, *omnes senatores;* sed *quemcunque*, *omnes quos* suis consiliis obstare maxime videret. (vide § 12, ad verba *vitam omnium civium*). Hoc ut facere posset, opus erat eum et in senatum venire et senatoribus adsidere, ut propius omnia videret atque audiret;

quare neque illud concedere Rinkesio possum: „vocabulum *oculis* melius omitti."

Nos, viri fortes. Nullis rationibus additis R. *ironiam nequaquam huic loco convenire* dicit. Mihi illud ante oculos habere orator videtur, quod legimus § 7, ubi multos principes civitatis ad caedem vitandam Roma profugisse memorans, non sine acerba quadam, ut puto, ironia addit: „non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa."

furorem ac tela. Alterutrum abundare supra adnotavit R. ad verba *ora vultusque* § 1. Utrum igitur abundare dicemus? *Furor* enim hominis audaciam indicat, quae ad caedem eum incitabat: *tela* autem instrumenta, quibus facinus perpetretur, ut legimus Aeneid. I, 50: „Iamque faces et saxa volant, *furor arma ministrat.*" Simili modo coniunguntur § 15: „sceleri ac furori," cuiusmodi *expletivae appositionis* plurima apud Tullium exempla inveniri possunt.

§ 3. *vir amplissimus.* Non assentior Bootio concedenti Rinkesio epitheton illud omittendum esse, quod tam saepe non magistratibus tantum, sed quibusvis nobilibus clarisve viris tribui videmus, ut *pontifex maximus* vix eo carere debeat, qui addito vocabulo *privatus* a Coss. satis distinguitur.

orbem terrae caede — vastare. „Catilinam templa, urbem, Italiam vastare esse conatum dicit Cicero cet.; eum vero orbem terrae caede atque incendiis vastare cupere stultum est." R. — Immo stultum est nescire, hoc nomine saepe rempubl. Romanam, vel etiam Italiam significari: tum legimus § 9: „qui de huius *urbis*, atque adeo *orbis terrarum* exitio cogitent," qui locus tamen nec Rinkesium, neque Bootium, qui ei assentitur, offendisse videtur. Nihil igitur amplius h. l. dicit, quam § 13: „Nunc iam aperte *rempublicam universam* petis." Bootii coniecturam *urbem tetra caede* vel idcirco reiiciendam puto, quod sequatur *incendiis* sine attributo. Tum post *statum rei publicae* in progressione sententiae melius *orbem terrae*, quam *urbem* dici nemo negabit.

illa nimis antiqua. „Antiquus opponitur novo, vetus recenti; quae diu ante facta sunt, vetera dicuntur — nec est, quod de Ahala dicat *nimis antiqua.*" R. — Ut *veteres* Romani hodiernis, sic *antiqui* posterioris aevi Romanis opponuntur: Cic. Lael. c. 4: „Plus apud me *antiquorum* auctoritas valet." Cat. Mai. c. 8: „Discebant enim fidibus *antiqui.*" Brut. XXX, 116: „Habemus in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in *antiquis.*" de Leg. I, 21, 55: „Quod decus *antiqui* summum bonum esse dixerunt." Tum etiam quae ante facta sunt, *antiqua* dicuntur pro Rabir. 9, 25: „Causam suscepisti *antiquiorem* memoria tua: quae causa ante mortua est, quam tu natus esses." in Verr. I, 7, 14: „Deus affabre atque *antiquo* artificio factus." Livius I, 24: „Res *antiqua,*" et sic saepe. Erat igitur, quod orator de Ahala diceret *nimis antiqua.* Cf. B.

acrioribus suppliciis. „Supplicium indicat *necem*, supplicia contra significant *cruciatus*, qui perferuntur, non ipsam necem, Cic. de offic. III, 27 § 100." R. — Dicitur h. l. Regulus ad *exquisita supplicia* proficisci, quibus tamen, quod R. non ignorat, fertur ille *necatus esse.* Sed alium Ciceronis locum apponam, unde alterum etiam temere ab eo dictum esse apparebit, in Pison. c. 19, § 43: „Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienses resectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necaverunt, *supplicio* videtur affectus; nec C. Marius, quem Italia servata ab illo — expulsum et naufragum vidit. Fortunae enim ista tela sunt, non culpae; *supplicium* autem est *poena peccati.*" Eadem sententia etiam in fine huius orationis dicitur *aeternis suppliciis.*

hostem coërcerent. „Hostis non coërcetur, sed vincitur vel superatur." R. — Ne cum Bootio *victum hostem* cogitem, facit adiunctum *acerbissimum.* Sed per zeugma, ut saepius, diversa obiecta communi verbo iunguntur. Sic e. gr. Tacit. Agic. Cap. 4, 19: „Nec *poena* semper, sed saepius *poenitentia* contentus esse." Nepos Alcib. 3, 5: „Non solum *spem* in eo habebant maximam, sed etiam *timorem.*" Cuius rei exempla, si opus esset, plurima possent colligi.

vehemens et grave. „Recte dicitur illud Sctum *grave; vehemens* contra perperam, praesertim *in eo casu, quo* omnino potestate sibi concessa Coss. non utuntur." R. — Igitur, si uterentur Coss., vehemens dici posset? Sic v. c. de longo et acuto gladio quis dicat: *longum* sibi videri; non item *acutum*, quoniam nemo eo utatur. At quo melius quis uti possit, idcirco acutus est. Eadem ratione *severa lex* dicitur, quae *graves poenas* proponit, etiamsi adhibitae nondum sint, et *vehemens Sctum* est, quo severum imperium Coss. conceditur, ut pro temporibus eo uti possint. Sic legimus apud Cic. in Bruto c. XXII, 88: „Galbam non in agendo solum, sed etiam in meditando *vehementem* atque incensum fuisse." In Vatin. 2, 4: „Nimium es *vehemens* feroxque natura." De Orat. II c. 49, 200: *genus orationis vehemens atque atrox;* multa eiusmodi.

consilium neque auctoritas. Etiam horum alterum abundare dixit R. ad § 1. Mihi vero ita differre videntur, ut illud senatus de re publica deliberationem significet, quemadmodum dicit § 2: *fit publici consilii particeps*; hoc autem Sctum illud, quo Coss. summa potestas concessa esset, quam § 4. *aciem horum auctoritatis* vocat.

CAPUT II.

---

§ 4. *Decrevit quondam senatus* cet. „Initium huius capitis conflatum est ex Cic. Phil. VIII 4 § 14 15." R. — Praeter aliquot nomina, quoniam iisdem, quod facere Cicero solet, exemplis utitur, quam potest maxima differentia est inter utrumque locum. Quodsi tamen aliquid simile inest, hinc eo translatum esse probabilius puto. Hoc idem contendit scilicet, qui ex duobus Ciceronis locis vult probare, *quondam* non nisi de *remotissimo*, vel saltem de *incerto* tempore usurpari; quum longe pluribus locis contrarium probari possit, quod recte demonstravit Bootius, cuius exemplis, si opus esset, multa addi possent, e. gr. de Orat. I, 6, 23. Livii II, 5, 7. alia. Sed locus, unde appa-

rere ille putat de *incerto tempore* dici *quondam*, est pro Archia poëta c. 3 § 4. „Antiochiae celebri *quondam* urbe — antecellere cet.” Verene credit Ciceroni ita incertum tempus fuisse, quo Antiochia floreret?

mors ac reipubl. poena remorata est. „Absurdum est dicere mortem eum remorari, qui sero interficitur.” R. — Atqui contrarium dicit Cicero: mortem ac poenam eos non remoratas esse, quoniam statim interfecti sint. Ceterum cf. B., qui recte hunc locum defendit.

hebescere aciem horum auctoritatis. Mureti interpretationem, *quasi de gladio*, improbans ait R.: „at ea metaphora non procedit; nam gladius in vagina reconditus non hebescit.” Non reputavit ille, recondita tela situ occupari, atque ita hebescere: quemadmodum et nos dicimus, *het zwaard in de schede laten verroesten.* Cetera bene tuetur Bootius; sed *auctoritas* hic non tam ipsum Sctum significare videtur, quam *potestatem* eo Coss. concessam, nobis volmacht, ut de Offic. III, 30.” Sine senatus *auctoritate* foedus fecerat.” Vide supra ad § 3.

inclusum in tabulis, tanquam in vagina reconditum. „Ut haec aliquid significare possint, necesse fuit ut tabulae aperirentur, quum eo Scto Coss. essent usuri.” R. — Omnino, si in carcere esset inclusum; sed quum legimus: „speciem sui similem *inclusit* clypeo Phidias” Tuscul. I, 15, 34: „*includere* oratione” Attic. I, 13: „aliquem in dialogos” ibid. 13, 40. „verba versu” de Orat. III, 48 § 182., alia eiusmodi: metaphorice haec omnia dici non intelligit R., et huius generis esse *inclusum in tabulis*, *besloten*, *vervat* in het archief? cf. etiam Bootius ad h. l. Sed pergit ille: „Inelegans et *subinepta* est porro ea comparatio, Sctum illud in vagina esse reconditum: et quomodo Sctum illud includi poterat?” Facile credo, qui illa non intelligat, eum et haec fugere, nam pergit in eadem metaphora, quam inchoaverat verbis *hebescere aciem.* Mureti autem sententiae etiam Wolfius accedit et Matthiae, qui deesse dicit voc. *gladium*, et exemplis docet, alterius comparationis partis nomen saepe supprimi, quum e sententia satis intelligatur.

me non dissolutum videri. Oratori obiicit R., ut solet, eum vim vocabuli *dissolutum* non assecutum esse, quod *vehementi* vel *crudeli* opponi, ex duobus Ciceronis locis conficit. At aliis locis probari potest idem voc. opponi *arroganti*, de Off. I, 28, 99; vel *constanti*, Tusc. IV, 25, 55, de lege Agrar. II, 20, 54, vel *apto*, de Off. I, 35, 129, vel denique *diligenti*, *prudenti*, *sapienti*, *gravi*, multis aliis virtutibus. Quid? quod *coniunguntur* etiam *dissolutus* et *crudelis*, in Verr. II, 3, 56. „Tu omnium hominum dissolutissimus crudelissimusque semper fuisti." Non mirandum igitur est, si ex tam falso praemisso falsa etiam sequitur conclusio: „iam vero *non dissolutus* est severus: igitur duae sententiae, quae idem fere significare debebant, e regione sibi opponuntur." Ridiculum errorem, quod coniungendo *non dissolutum* negativam sententiam affirmantem effecerit, comiter indicavit Bootius, quamquam mihi sophisma potius videtur, quo miserum rhetorem ineptiarum arguere possit: nam aequi iudicis est non iudicare, nisi bene rem cognoverit. Ergo non idem significare duas sententias videmus, nec sibi opponi *clementem* et *dissolutum*, sed gradu tantum ea differre. Rinkesii causa interpretationem addendam puto. Cupio me esse *clementem* i. e. non nimis severum; cupio vero etiam in tantis periculis me *non dissolutum* i. e. non negligentem videri; sed iam illi studio nimis indulgens eo progressus sum, ut non negligentiae tantum, sed inertiae nequitiaeque me condemnem. Simili ratione dicit § 3: „nos consules desumus." Artificiose se ipse accusat, mox in tempora inque eos homines, qui vel Catilinae consiliis faverent, vel nondum crederent coniurationem factam esse, culpam translaturus.

§ 5. *intra moenia — perniciem reipubl. molientem.* „Graviter in his verbis lapsus est rhetor; nam reipubl. perniciem Catilina etiam moliri poterat extra urbem." R. — Vanam futilemque accusationem recte redarguit Bootius. In iis vero, quae sequuntur: „quum enim in castris *erat* apud Faesulas aeque perniciem intestinam *moliebatur*," ipsum censorem graviter lapsum esse videmus, aut contra veritatem Catilinam, quem nondum egressum scimus, iam in castris fuisse narrantem, aut, quod

parum convenit tam confidenter subinde de rhetoris latinitate iudicanti, male latine loquentem.

quam quisquam. Haec non, ut R. videtur, pugnare cum iis, quae dicuntur § 30, recte demonstrat B. Ergo non vidit ille, quum praecedat *omnes boni*, hic intelligi, *quisquam bonus?*

Tum denique interficiere, quum iam nemo cet. Huic loco irridens R. non attendit, illa non de sociis coniurationis dici, qui et ipsi erant puniendi, quorumque ita hac in re nihil valeret iudicium; sed de ceteris civibus, quorum, ut videmus, multis persuasum nondum erat coniurationem exstare. Hoc igitur dicit orator: tum denique interficiere, quum ita aperta erit tua coniuratio, ut iam nemo, quamvis pessimus, dubitare de ea possit. Quod illustratur etiam sequentibus: „quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives" cet. Nam si quando Catilina a senatu hostis patriae esset declaratus, ne improbissimus quidem defendere eum auderet, ne et ipse pro socio haberetur. Quemadmodum neque in hoc senatus conventu quemquam ex amicis et sodalibus Catilinae verbo eum adiuvare ausum fuisse videmus.

§ 6. *praesidiis obsessus.* „Ut saepius, h. l. quoque rhetor dormitavit: nescire videtur *quid* sint *praesidia*, quod vocab. semper ita ponitur, ut eos indicet, qui hoc *agunt*, ut aliquem defendant, custodiant: nemo unquam opprimitur vel obsidetur praesidiis, ne commovere se possit contra aliquem, hoc enim praesidia efficere non possunt, sed ut contra aliorum iniurias et vim aliquis defendatur." R. — Quis talia legens risum teneat? Praesidia quum contra iniurias et vim defendere quem debeant, hoc tamen efficere non posse, ut is, qui inferre velit, prohibeatur quominus vim et iniurias faciat. Num igitur et hunc defendere debent? Immo *custodire*, quod male noster confundere videtur cum *defendere:* notat enim idem fere, qnod *obsidere.* Ergo praesidiis *opprimitur* vel *obsidetur* ille, qui iniurias cogitat atque ita prohibetur, ne commovere se contra eum possit, qui iis defenditur. Cff. praeter locum a Bootio allatum, Caesar B. G. I, 10: „Eo opere facto, *praesidia* disponit, castella communit,

quo facilius, si se invito transire vellent, *prohibere* possit." Cic. de lege Agrar. II. 28, 75: „Ut totam Italiam suis *praesidiis obsidere* atque occupare cogitet, cognoscite." ad Att. IX. 3: „Tenetur armis *praesidiisque* tota Italia"; sed uter eorum dormitet, uter quae sint praesidia nesciat, satis te videre existimo.

vives ita, ut vivis. „Catilina obsessus illis praesidiis ita vivet, ut vivit, ne contra rempubl. movere se possit: quod sine dubio subridiculum est." R. — Immo plane ridiculum est haec verba ita iungere, ut particula *ne* cohaerere videatur cum *vivet*, quam nemo non pendere videt ab *obsessus*, quod *prohibendi* significationem habere modo vidimus. Nec casu quidem illud factum esse, sed de industria sic iungere Rinkesium apparet ex iis, quae, pauca in medio locutus, in fine addit: „quod qui facere potuit, *ita vixit* per Ciceronem, *ut* commovere se contra rempubl. non posset?" Quae autem in medio garrit, huc fere redeunt: Catilinam quamvis illis praesidiis obsessum, omnia tamen ad incendium et caedem comparare et horum descriptionem Laecae domi constituere potuisse. Qua de re mox videbimus. Sed mirandum non est qui, quod modo vidimus, ignoret quid sit *praesidiis obsessus*, hunc neque illa intelligere quae arcte cum iis cohaerent: negat enim *commovere se contra rempubl.* latinum esse, quoniam *nova* sit *loquendi forma*, atque audacius etiam addit, *Romanis saltem inaudita.* Parum, credo, apud eum iudicem nobis proderit testem invocasse huius orationis § 7, ubi eadem forma redit; sed si omnes locutiones, quae nobis novae sunt, vel quarum saltem similia exempla proferre non possumus, improbare vellemus, vereor ne multa damnaremus, quae Romanorum aures audientium ea vel legentium nequaquam offenderunt, vel quae etiam, si omnia eorum scripta haberemus, non adeo Romanis inaudita esse appareret. Sed nova sit illa verborum structura, non nova tamen verba sunt; neque enim negabit R. latinum esse, *se commovere*, nisi forte errare Ciceronem putat dicentem: „quis *sese commovere* potest, cuius ille vitia non videat?" de Orat. II 57, 233. Tum coniurare, bellum gerere, aliquid moliri *contra rempubl.* Romanis inaudita esse nemo facile contendet. Iam quis Ciceroni invidebit, si per litoten illud dicere voluerit pro

ne aliquid moliri contra remp. possis? quemadmodum nostrates dicunt: *geen vin tegen iemand verroeren.* Sed ipse quoque R. dicit: „commovere nos possumus contra eum, qui nos exercet, qui vim nobis inferre conatur;" minus considerate tamen addit: „quod certe *non cadit* in rempublicam, cuius est omnes defendere." Etiamne patriae proditores et vastatores rei publicae, quemadmodum prius dixit-*praesidia* etiam eos defendere oportere, qui iniurias inferant? cf. etiam quae dicit B. — Sed ut tandem ad illa revertamur, quae indefensa reliquimus: prohibere suis praesidiis Consul potuit, ne quid hostile Catilina in urbe contra rem publicam faceret, neu quam perniciem civibus inferret: ne Laecae domum conveniret ibique clam consilia iniret contra rem publicam, ut res ac tempora sese habebant, impedire non potuit, nec debuit quidem prius, quam omnia satis cognita ei essent, quo melius coniurationem deprehendere atque opprimere posset. Quae iam optime se perspexisse Catilinae ostendit atque ita vitam se ei concedere dicit, ut quaecunque contra rem publicam suscipere velit, sit prohibiturus.

Speculabuntur atque custodient. „De oculis recte dicitur, de auribus contra stultius est, quam ut verbum de ea re addendum esse videatur." Sic R., cui adsentiens B. dicit, neutrum verbum convenire *auribus*." Mihi utrumque verbum et auribus et oculis convenire videtur, nec seiungenda quidem haec esse, sed ita iungenda ut quasi unum efficiant. Falli autem, qui *speculari* de oculis tantum dici existiment, vel uno Livii loco facile convincam, qui lib. XLII, 25,8. haec scribit: „quod alii super alios legati venirent speculari *dicta factaque* sua, quod se ad nutum imperiumque eorum omnia *dicere ac facere* aequum censerent." Idem ibid. cap. 17: „ad visendum statum regionis eius *speculandaque consilia.*" cf. Cic. in Verr. V, 62, 161: „Tum iste se comperisse ait, eum *speculandi* causa in Siciliam ab ducibus fugitivorum esse missum." Sed plurimis exemplis probari potest, saepe *speculari* non tam *videndi* quam *observandi, cognoscendi, insidiandi* significationem habere, ut nostrum *bespieden*, qua notione etiam usurpari videmus verbum *custodire:* Cic. de petit. Cons. c. 49: „Fac itaque ut se abs te *custodiri*,

atque *observari* sciant." Quinctil. Inst. IX, 1: „Et *custodit* nos recens audientium intentio." Tacit. Hist. II, 52: „*sermones custodire*". Sic Aeneid. l. IV. Fama, quae mille *oculis auribusque* omnia speculatur, „luce sedet *custos* (*als bespiedster*) summi culmine tecti." Utrumque igitur, ut dicebam, verbum utrique obiecto aeque convenit, unumque efficiunt enunciatum, ut saepius Cicero verbum *speculari* cum alio eius generis coniungere solet, e. gr. *speculari* et *perscrutari*, Tusc. V, 20,59: *speculari* et *obsidere*, pro Flacco XXIV, 57: *insidiari* et *speculari*, de Orat. I, 10,136: et h. l. *speculari* et *custodire*. Nulla igitur opus est coniectura; *exaudient* vero h. l. prorsus alienum est, quod nullam habet omnino speculandi et observandi significationem, sed unice effectum indicat, ut infra § 21: „quorum voces paullo ante exaudire potuisti"; quo loco plura de hoc verbo dicentur. Nequaquam autem hos speculatores custodesque confundendos esse cum *firmis praesidiis*, quibus obsideretur Catilina, quod credit R., quivis facile intelligit: „*Praesidia* illa (ait) non erant homines armati, nisi eo die, quum Cicero insigni illa lorica in campum descenderat — sed indices cet." Ergo quum Catilina, quod legimus § 8, Praeneste nocturno impetu occupare vellet, *indicibus speculatoribusque* eam urbem defendit Cicero? Dicit enim: „sensistine illam coloniam meo iussu *praesidiis*, custodiis vigiliisque esse munitam"?

CAPUT III.

„In sequentibus exponit *Pseudo-Cicero* quid egerit Catilina, quibus appareat illius consilia sibi patere. — Quodsi paullo accuratius attendimus ad finem c. 4, luce clarius videbimus rem non esse nobis cum Cicerone, sed cum *ineptissimo declamatore*". cet. R. — Pergit fere hoc modo iniuriose atque arroganter oratorem carpere, ad quae respondendi labore supersedere possemus, nisi quaedam inessent speciosa crimina, quae, ne forte imperitior quis his capi se patiatur, refutanda esse arbitror. De illo autem, quod sub finem c. VI. declamatori crimini dat, suo loco vi-

debimus ad verba *illa ipsa nocte;* sed ea, quae legimus initio c. V: „Perge quo coepisti, egredere" cet. ita vituperat: „Fugiebat autem *bonum virum* se, antequam narrasset Catilinae consilia sibi esse nota, dixisse in fine c. II: *vives meis praesidiis obsessus* cet.: quod quo melius fieri possit, iubet eum urbe exire cet." Existimare R. videtur pugnare inter se *egredi* et *vivere;* mihi vero sic demum contraria esse viderentur, si „bonus vir" prius dixisset *interficiere.* Nisi forte putat verba *vives, ut vivis* significare, in urbe ei manendum esse, ut praesidiis obsessus commovere se non possit. Sed tantum abest, ut illa inter se pugnent, ut multo magis iis, quae dicit in fine c. II, iam impellere eum quodammodo incipiat ad id, quod hortatur initio c. V. Ostendit enim, si in urbe maneat, certa de causa eum non interfectum quidem iri; sed ita tamen victurum esse, ut et praesidiis prohibeatur, ne consilia sua possit exsequi, et undique cingatur speculatoribus, qui quidquid moliatur sint indicaturi. — In reliquis (nam pleraque futiliora sunt, quam in quibus diutius moremur) irridens etiam verbis *educ tecum etiam omnes tuos* dicit: „At Catilinam non educturum omnes suos optime sciebat orator; dixit enim § 9. delectos esse quos Romae relinqueret, quosque secum educeret." Non vidit, an videre noluit, haec etiam addere oratorem? „Educ tecum etiam omnes tuos; *si minus, quam plurimos.*" Et tamen quasi triumphans in fine exclamat: „Apparet igitur eam causam esse falsam et rhetorem denuo sibi obloqui."

Etenim quid est. „Perperam hoc vocabulum hic usurpatur; nam quae sequuntur conclusionem continent eorum, quae praecedunt; scribendum idcirco fuisset *igitur* vel simile quid." R. — *Conclusionem?! igitur?!* quanta turba foret, si ineptus rhetor tale quid dixisset. *Etenim,* ut solet, coniunctio causalis est, qua rationes redduntur eorum quae praecedunt, et parum vel nihil differt a simplici *enim,* nisi quod adiuncto *et* praeponitur, atque ita maiorem quandam habet vim. Dixerat orator multorum oculos et aures eum speculari atque custodire: quod quam vere dixerit, iam hinc ei probaturus est, unde novus locus oritur, ad quem transitum parat haec particula. Etenim, Catilina, quod

maius indicium veritatis eorum quae dico exspectare potes, quam quod *neque nox tenebris obscurare — nec privata domus* cet.? Nil opus igitur esse vides cum Bootio scribere *At enim*, quoniam non est *interrogatio cum indignatione*.

parietibus continere voces. Ex uno Ciceronis loco R. ostendit hoc verbum significare *silere*, *tacere*, quod de domo dici non possit. Tum: „*continere* dicitur de eo, quod aliquid potest capere, quod capax est. At omnis domus potest quascumque voces i. e. *clamores* continere," quod iterum Ciceronis loco confirmat. At ego pluribus cum Ciceronis tum aliorum locis probare possum, hoc verbum saepissime *coercendi*, *custodiendi* significationem habere: Cic. Phil. XIII, 3. 5: „belluas immanes saeptis *continere*" i. e. prohibere ne erumpant: item aliis locis, *claustris*, *catenis continere*. „Quum te non custodem *ad continendas*, sed portitorem ad partiendas merces missum putares", in Vatin. 5, 12. „*continere* exercitum castris", Caesar B. G. I., 48. II, 11. al. Idem III, 29: „*continere* milites sub pellibus." Dicit etiam IV, 34: *tempestates* Romanos *castris continuisse*. Similia legimus apud Livium. Ovidius etiam habet *ventos carcere continere*, Metam. XI, 432. Innumerabilibus denique locis legimus, *continere se domi*, *in oppido*, *moenibus*, *suo loco*, multa alia, quae omnia clamare videntur, *continere* h. l. significare *intus servare* voces coniuratorum, *cohibere* arcana coniurationis ne emanent. Domus autem prosopopoeia in oratore neminem facile offendet, addito praesertim *parietibus*. Ceterum cf. Bootius.

obliviscere caedis. Falli Rinkesium dicentem: „non obliviscimur nisi praeterita; non usurpatur hoc voc. de futuris, vel de omittendis iis, quae facere in animo habemus," vel uno Ciceronis loco probari potest, pro Rosc. Am. XVII, 49: „Et artificium *obliviscatur* et studium deponat." Sed saepe Latini Graecos imitati huic verbo notionem tribuunt *omittendi*, *negligendi*, ut nostrates dicunt, *zijn plicht*, *eer*, *belang vergeten*, quod etiam tirones discunt, vel discere saltem debent. Cic. ad Fam. I, 7, 7: „Ut nostrae *dignitatis* simus obliti." ibid. 9, 12: „dum tu ades, sunt oblitae sui." in Verr. I, 52: „laudis domesticae *oblivisci*." Caesar

B. G. VII, 34: „oblivisci *controversiarum* ac *dissensionum*." Sic „ut alia *obliviscar*" dicit Cic. pr. Rosc. Am. 31, 87, pro *ut omittam*, alia: cf. etiam Bootius. Contra *meminisse* saepe dici pro *memorem esse*, *curae habere*, notissimum est. Parum igitur haec differre videmus ab iis, quae praecedunt: „Muta iam istam mentem," quae *corrigendi* quidem significationem nullam habere docemur § 22; sed notant: *desiste iam de illa mente* (Cic. Famil. V, 2, 8,) vel *de ista sententia* (Tusc. II, 12, 23) *omitte consilium caedis* cet.

licet recognoscas. „ac si Catilina illam recognitionem postulasset." R. — Molestum est eum, qui supra doctos sapere se existimet, toties primas verborum notiones docendum esse. *Licet*, ut gr. ἔξεστι, non *concedendi* tantum habet significationem, sed saepe indicat quod fieri *potest*, ut nostrum *mogen* non raro valet *kunnen*, *moeten*. Non opus erit exempla conferre, quoties Cicero et alii dicant: *licet* videre, intelligere, dicere, cognoscere, alia, ubi nihil quidem postulanti conceditur, sed potestas indicatur *videndi*, *intelligendi*, cet. Etiam *adhortandi* vim habere videmus, Cic. de Div I, 7, 13: „*Mirari licet*, quae sint animadversa a medicis herbarum genera", i. e. *mirandum est*. Ergo h. l. *licet recognoscas* est, potes mecum recognoscere, aut idem quod initio c. IV: „Recognosce tandem mecum."

§ 7. *fore in armis*. Hoc *improprie* dictum putat R. pro *in castris futurum*, idque effici scilicet vult iis, quae dicit Cicero pro Lig. 3, 19: „in iisdem armis esse." Suadeo illi ut inspiciat Sallust. B. C. c 37, 6: „Si in armis forent" et 51, 19: „quum tanta praesidia sint in armis." Quid pluribus opus est in re tam aperta? cf. etiam Bootius, quem iure taedet in talibus immorari.

consiliorum tuorum reprimendorum causa. Plura in his animadvertenda habet R. Duo priora egregie refutavit Bootius: *tertium* irrisio est *in novam rationem profugiendo consilia reprimendi*. Non tam ut illud factum optimatium excuset, quod Bootio videtur, quam per ironiam potius, ut iam § 2. dicebam ad verba *nos viri fortes*, haec eum addere credo, ut iis exprobret, in com-

muni periculo eos suae tantum saluti consuluisse. Nam etsi verum est, quod dicit, fuga sua, quantum ad ipsos certe attineret, Catilinae conatus eos repressisse; haud minus tamen verum est, reliquos eidem periculo expositos, desertos ab iis fuisse. *Quarto* dicit R.: „quod consilia non reprimantur: hoc autem recte dicitur de vi, impetu; sed consilia irrita fiunt, impediuntur." Verborum certamen hoc est, non rerum. *Consilia* enim hic non sunt *deliberationes*, sed ea quae ante *deliberata*, *excogitata* erant perficiendi *conatus;* ut legimus apud Cic. in Verr. II, 26, 64: „Nisi meo adventu illius *conatus* aliquantulum repressissem." Quid autem conabatur Catilina nisi *vim* et *impetum* in optimates? quae cum illo verbo recte coniungi ipse R. fatetur. cf. Bootius.

meis praesidiis, mea diligentia circumclusum. „Circumcludere Ciceroni non est in usu, qui eo sensu usurpat *includere.*" R. — Legimus etiam Orat. Cat. II, 7, 14: „Consiliis — meis *circumclusus* ac debilitatus." *Includere* autem alia sententia adhibetur; vide ad verba *inclusum in tabulis* § 4. Etiam Caesar dicit B. G. III, 30: „ne duobus circumclauderetur exercitibus," idem VI, 78: „Haec argento circumcludunt," alii. Corruptam vocem existimans B. emendat *circumfusum,* quod alienum esse vel ipse Ciceronis locus (p. Mil. § 71) quem laudat, testatur: sedet enim Pompeius praesidiorum copiis *circumfusus,* i. e. cinctus, stipatus; cf. eiusdem orationis § 1: ergo hunc *tuentur* praesidia, illum *coërcent.* Idem male incidi dicit post *praesidiis;* ablativos enim diversi generis esse, hac sententia: „quum mea diligentia perfectum esset, ut meis praesidiis cingeretis." Sic autem perspicuitas postularet, ut *meis* deleretur, quemadmodum ipse facit § 8: „meo iussu praesidiis, custodiis vigiliisque esse munitam." Sed utrumque ablativum instrumenti esse, ut vocant, ea docent, quae legimus § 11: „non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi."

contentum te esse dicebas. „Pro *dicebas* necessario requiritur *diceres.*" R. — Aeque hic dicendum est *quum tu — dicebas,* ac supra: „*tum, quum — profugerunt.*" Notissima est ea convincendi ratio, ut, quo magis adversarium urgueamus, dictum

aliquod vel factum, quod eo ipso tempore locum habuerit, in memoriam revocando ipsum quasi in suam causam testem citemus. Solet autem tale verbum etiam in obliqua oratione in *indicativo* apponi, quoniam seiunctum quasi a cetera sententia per se dicitur. Tum contendit dicendum fuisse *contentum te fore*, non reputans, praesentem animi eius affectum indicari quo tempore haec diceret, non coniecturam de futuro, atque ita requiri *imperfectum infinitivi*: *toen, bij welke gelegenheid gij zeidet u te vergenoegen — dat gij u te vreden steldet met den moord der overigen enz.* Bootii coniecturam *te contenturum esse* sententiae contrariam esse satis apparet.

§ 8. *Meo iussu.* „Ut supra *mea diligentia*, sic h. l. *meo iussu* supervacaneum est." R. — De illo dictum est supra. Hoc adeo non vacat, ut potius sequentibus ablativis carere possemus; sed *meis* delendum esse recte observavit Bootius, et in nonnullis quidem editionibus omittitur. Dicit autem: sensistine, meo iussu factum esse, ut illa colonia praesidiis cet. muniretur?

CAPUT IV.

Recognosce tandem. „*Tandem* inepte h. l. ponitur pro *denique.*" R. — Immo inepte h. l. *denique* poneretur pro *tandem.* Vide quae disputat Bootius. cff. Cic. de leg. agrar. II, 37,103: „Polliceor me esse perfecturum, ut iam *tandem* illi fateantur" cet. Caes. B. G. I, 25, 5: „*Tandem* vulneribus defessi pedem referre coeperunt." Livius V, 5: „ad finem iam operis *tandem* perventum." Ter. Andr. 3, 4: *Tandem* cognosti qui siem?" Plaut. Amph. I, 1, 99: „proelium id *tandem* diremit nox interventu suo." Virg. Aeneid. VI, 61: „*Iam tandem* Italiae fugientis prendimus oras." Innumerabiles sunt loci, ubi aeque ac nostro male poneretur *denique* pro *tandem.*

non agam obscure. „Verbum usitatum in foro: scribendum *fuisset dicam.*" R. — Eleganter profecto diceret Cicero: „*Dico*

te venisse — non *dicam* obscure." Latissime autem, ut recte docuit Bootius, huius verbi usus patet, quod non in foro tantum, vel in curia et iudicio, sed in quovis sermone vel scripto adhiberi videmus, praesertim addito adverbio. Cic. Att. XVI, 5: „*Egit* mecum accurate multisque verbis." ad Fam. XIII, 75: „De quo et praesens tecum *egi* diligenter, et scripsi ad te accurate antea". ibid. V, 2: „*Egi* cum Claudia et cum vestra sorore Mucia, ut eum ab illa iniuria deterrerent." Infra § 18: „quae tecum sic agit," alia.

Num negare audes? „Sic *infitiari* legitur § 7, ubi *negare* dicendum erat." R. — Suspicor aliquid excidisse, quo significaverit h. l. *infitiari* legendum esse sibi videri. Idem Bootio accidisse puto, qui ad § 7. utriusque verbi significationem exponit. Hic autem *negare* legendum esse, vel ex seq. *si negas* apparere videtur. Ceteroquin utro utare, parum interdum referre existimo, nec maiorem fere inter utrumque differentiam obtinere, quam inter nostra *loochenen* et *ontkennen*. Nam etsi proprie *nego* verbo *aio*, et *infitior* opponitur *fateor*, non raro haec confundi videmus: e. gr. Cic. Brut. 19: „qui a Naevio vel sumpsisti multa, si *fateris*, vel, si *negas*, surripuisti."

§ 9. *Sanctissimo consilio.* „de senatu non dicitur: loco quidem ubi senatus habetur, tale epitheton conveniret." R. — Non video cur, quum de singulis senatoribus dictum legamus, non conveniret etiam in senatum. Cic. pr. Rosc. Com. 15, 44: „Luscius et Manilius, ordine senatores, aetate grandes natu, natura *sancti* et religiosi." Sic in Laelio c. 11. Curius et Coruncanius *sanctissimi viri* vocantur, alii aliis locis. Sed praeterea Liv. XXX, 16. dicit: „Oratores ad pacem petendam mittunt triginta seniorum principes; id erat *sanctius* apud illos *consilium* maximaque ad ipsum senatum regendum vis". Etiam Val. Max. II, 6. ext. Areopagum vocat *sanctissimum consilium.* cf. Bootius.

urbis atque adeo orbis. „Amat declamator hoc genus oppositionis, quod a Cicerone etiam interdum usurpatum esse, notum

est." R. — Quamvis verum sit, quod B. dicit, Rinkesium non culpare hanc paronomasiam, tamen eum non sine aliqua irrisione in declamatorem illa dicere videmus, quum praesertim et haec addat: „Ex alio oppositionis genere non minus festivo hoc est: *quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero*". Talia qui ridet, non ineptum declamatorem, sed Ciceronem ipsum culpat.

illa ipsa nocte. Miratur Rink. (vide init. C. III) quum *nocte* coniurati convenissent, Consuli, postquam haec ad eum delata essent, satis temporis fuisse, ut et domum suam muniret, et *multos et summos viros e lectis ad se arcesseret.* Illud oratorem ipsum dicentem audimus: hoc vero unde R. cognovit? Nam nullam neque Sallustius, neque alius, quantum memini, huius rei mentionem facit. Cicero autem dicit: „quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram." Nisi igitur unde petitum hoc in rhetorem iecerit probare possit, falsi eum testimonii damnabo. Sed Consuli, quem et conventuros praescivisse probabile est, et *vixdum coetu dimisso* omnia comperisse legimus, quum illi *priore nocte* (cf. B.) convenissent et *mane* paullo *ante lucem* impetus fieret, satis profecto temporis fuit, ut et domum suam *maioribus praesidiis* (nam non solos venisse duos illos equites, quod R. putat, e Sallust. ostendit B.) muniret atque firmaret, et vero amicos suos conveniret, quos pro periculi magnitudine et vigilantia Consulis ab eo praemonitos fuisse credas, fortasse etiam, ut coniuratorum decreta cognoscerent in unum locum convenisse. Sin minus, quantum erat, sive per literas, sive per nuncios, nonnullos denique coram huius rei certiores facere? Quis vero non agnoscit in hoc prudentiam solertiamque Ciceronis, qui quum sciret multos fore, qui alii de aliis causis, si ipse hoc crimen referret, aut fidem denegarent, aut vix credere possent, tot tantosque testes rei tam atrocis et incredibilis, quae luce clarius coniurationem factam esse indicaret, praenunciando sibi comparaverit.

Praeterea mirum Rinkesio (nollem etiam Bootio) videtur, illos equites exclusos, non captos esse a praesidiis. Imprudentissime vero prudens Consul egisset, si nobiles homines, qui quasi salutatum ad eum venissent, quorum consilium ex indicibus

tantum cognoverat, indicta causa comprehendisset. Quid, si armati, quos secum habebant, vim vi repellere constituissent? Quam facile pugna inde orta esset, cui quum et alii se immiscuissent, magnus in urbe tumultus potuisset exsistere: quod quantopere ab eius consilio alienum esset, ex tota oratione atque ex Sallustii historia dilucide apparet. Immo satis erat eos excludere, et frustra quidem illi tantum facinus susceperant, non frustra Consul multis ac summis viris illud praedixerat, quorum testimonium tantam rem omni dubio exemit. *Talia qui facit, revera omnium admiratione dignus est:* talia qui carpit indignus est cuius iudicio fides habeatur.

CAPUT V.

§ 10. *tua illa Malliana castra.* „Melius esset *tua* omitterre" R. — Quam ob rem? Non erant igitur Catilinae castra? At orator vocat eum tamen § 5: *eorum imperatorem castrorum ducemque hostium;* Mallium autem § 7: *eius audaciae satellitem atque administrum.* Idem dicit § 1: *tua consilia* — *coniurationem tuam,* quod item *ineptum* Rinkesio videtur, cui tamen respondet B. Cf. Orat. Cat. II, cap. 6, § 14.

§ 11. *in uno homine.* „Improbanda videtur sententia Mureti adnotantis: *non Ciceronem sed Catilinam significari puto*". R. — Idem Bootio videtur, nulla addita ratione. Quas autem R. rationes reddit, eae nihil aut potius contrarium probare videntur: „contrarium docemur tum voc. *saepius,* tum iis quae paullo post leguntur: *quotiescunque me petisti*" cet. Haec ipsa enim verba iteratos Catilinae conatus indicant principes civitatis viros, Consulem in primis, tollendi,ut defensoribus orbatam rem publicam invaderet. Iure igitur Cicero addere potuit: „quamquam videbam perniciem meam cum magna calamitate rei publicae esse coniunctam", quae verba languerent, si prius multo arrogantius dixisset: *in se uno* summam rei publicae salutem periclitari. Sed male etiam cum iis hoc conveniret, quae proxime praecedunt: „Magna Diis

habenda est gratia, quod hanc — rei publicae pestem toties iam effugimus", et cum sequentibus: „quum me Consulem et competitores tuos interficere voluisti", praesertim cum illis: „Nunc iam aperte rem publicam universam petis" cet. Sed neminem his verbis indicari, nisi Catilinam, luculenter etiam docent quae legimus § 18, ubi orator patriam talia dicentem facit: „Nullum iam aliquot annis facinus exstitit, nisi per te, nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio — impunita fuit ac libera," quod iam diutius ferendum non esse. Sic h. l. dicit, non saepius (nimis saepe) in unius hominis audacia et furore salutem rei publicae periclitandam esse. Mureti igitur sententiae omnino adhaereo.

periclitanda „ponitur h. l. pass., *sensu* discriminis, periculi subeundi; at apud Ciceronem *semper et ubique* significat, periculum facere alicuius rei, experiri, tentare" cet. R. — Ergo Ciceronis locus non esse ei videtur de Invent. II, 50, 152: „*periclitari* omnia iura, si similitudines accipiantur." Sed etiamsi nullo alio loco apud Ciceronem legeretur, frequens ceterorum scriptorum usus et similitudo gr. verbi κινδυνεύεσθαι, quod comparat Bootius, hunc locum satis tueri videntur. cff. Caes. B. G. VI, 34: „Ut potius in silvis Gallorum vita, quam legionarius miles *periclitetur*." Livius XXXVIII, 25: „donec res suas, quibus *periclitari* nolebant — trans Halyn flumen traiicerent." Idem XL, 15: *ingenii fama periclitari*. Quinctil. Inst. XI, 3, 42: *periclitatur rumpi*. id. ib. VII, 3, 17: „ut verba non *periclitentur*", alii.

nullo tumultu publice concitato. „Melius fecisset rhetor, si id, quod ante oculos habebat ex orat. pro Sylla XI, 33, *sine tumultu* descripsisset, omisso *publice*." R. — cf. Bootius, cui non tamen assentior Ciceronem l. l. brevius scripsisse. Quod enim h. l. breviter dicitur *publice concitato*, illic copiosius ita exponitur: „sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu," quae omnia ad rem publicam pertinere nemo facile negabit. Sed nequaquam omittendum est *publice*; respondet enim praecedentibus: *publico praesidio*, ut ad verba *privata diligentia* h. l. referenda sunt *amicorum praesidio et copiis*. Quamquam his *non comprimi cona-*

tus nefarios dicit R., nullam tamen causam addens, cur ei credamus: quare eum refero ad § 7: „meis praesidiis, mea diligentia circumclusum" cet. Sed *oratorem sibi ipsi obloqui* contendit: „nam quum dixisset: *amicorum praesidiis compressi* cet. statim addit: *quotiescunque me petisti, per me tibi obstiti.*" Non dixisset hoc, opinor, si Nepotis illud recordatus esset, Thrasyb. 1, 5. et 2, 1: „Non solum princeps, sed etiam *solus* initio bellum his indixit. Hic enim — non plus habuit secum quam *triginta de suis.*" Notat igitur *per me* idem fere quod *amicorum praesidiis*, atque opponitur *publico praesidio*, quod recte B. illustrat exemplo ex ep. ad Fam., cui addo pro Sulla 24: „Nihil audacter ipsos *per se* sine P. Sulla facere potuisse." Minus feliciter idem confert Ovid. Met. XIII, 178: *per me iacet inclytus Hector*, ubi *per me* est *δι' ἐμοῦ*, nostro autem loco notat *κατ' ἐμαυτόν*.

§ 12. *vitam omnium civium* „qui hoc faciat, vel qui talem ὑπερβολὴν defendere velit, non facile invenies." R. — Atqui optime eam defendit Bootius. cf. quae § 1. diximus ad verba *horum omnium conscientia.* Sed h. l. *omnium*, eodem fere modo dici videtur ac § 2: „unumquemque nostrum," ita ut non *cuncti* indicentur, sed *quivis.* Sic Nep. Milt. Cap. 8, § 1: „omnium civium suorum potentiam extimescebant," i. e. *cuiusvis nobilioris;* nam inferiorum quidem potentia timenda non erat. Incendium autem, unde quibusvis civibus periculum immineret, praecipue hic significari suadent praecedentia: „templa Deorum immortalium, tecta urbis:" quae quum ipsam Romam spectent, addenda fuisse vides: *Italiam denique totam*, ut haec bene responderent illis „rempubl. universam petis;" quare minus recte, ut videtur, illa verba *aliena manu addita* iudicat B.

quod huius imperii disciplinaeque maiorum proprium est. Difficilia intellectu haec Rinkesio videntur: „crederet significare: quod proprium est huius reipubl., civitatis, id, quod in hac republica fieri solet. At in republ. non solebant cives interfici." — Qualis igitur civitatis forma erat, quum Sp. Maelius, Gracchi, M. Fulvius cum liberis, L. Saturninus, C. Servilius, alii multi

(§ 28) interficerentur? Vel qua ratione orator dicit § 3: „Fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis *civem* cet?" Ergo hoc eum voluisse putat: „id, quod fieri solet, quum respublica Scto permissa est consulibus," et comparata demum Cic. p. Sulla 7, 21. inde *apparere posse* dicit, „si hoc *opus esse* videtur, *imperium dici posse* de potestate Coss. illo Scto tradita." Vides quam dubitanter, et post quantas ambages tandem eo perveniat, quo statim venire poterat, si huius Sallustii loci meminisset, B. C. c. 29: „Ea potestas per senatum, *more Romano*, magistratui maxima permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque cives: domi militiaeque *imperium atque iudicium summum* habere." Sed ne sic quidem e labyrintho eum evasisse videmus, quum addat: „Sed nondum id, quod demonstrandum erat: *huius imperii*, quum nihil de ea re praecedat, h. l. et significatione accipi posse": quae quamvis difficilia intellectu sint, hoc tamen inde apparere videtur, pronomen *huius* eum vexare. Quod autem dicit, nihil de ea re praecedere, fallitur; bis enim ante, § 3. et 4. mentio facta est Scti, quo illud imperium Coss. permissum erat: hoc igitur spectans orator δεικτικῶς dicit, *huius* i. e. nostri, nobis concessi *imperii*. Sic enim magis placet, quam quod Bootius velle videtur, cum emphasi *huius* dici pro *tanti imperii*. Post haec omnia non opus esse puto verba *disciplinae maiorum* explicare, quae aeque noster se ignorare fatetur, fortasse caute, quoniam in re publica cives interfici solere negavit. Pauca tamen conferre volo ex § 28: „quid tandem te impedit? *Mosne maiorum?* At *persaepe*, etiam privati, in hac re publica perniciosos cives *morte multarunt*."

ad severitatem lenius. „Duo vocabula e regione sibi opposita sic coniungi non possunt. Quid v. c. esset *ad perniciem utilius?*" R. — Ista valerent si orator dixisset: *ad crudelitatem lenius*, quae vere contraria sunt; haec non nisi gradu differunt, et particula *ad*, ut gr. πρὸς, comparationi inservit. Tantum autem a *crudelitate* diversa est *severitas*, ut etiam *modica* et cum *comitate* coniuncta esse possit, cf. Cic. de Sen. 18, 65: „Severitatem in senectute probo, et eam sicut alia, *modicam*: acerbi-

tatem nullo modo;" Brut. XL, 141: „Crassus iu summa *comitate* habebat etiam *severitatis* satis; Scaevolae multa in *severitate* non deerat tamen *comitas.*" Ex quibus locis apparere potest, quantopere alienum sit a Rinkesio propositnm exemplum *ad perniciem utilius:* aptiora huic loco, si similitudines amat, ei suppeditabo: e. gr. ea quae dicis, ad fidem minus *credibilia* sunt, ad auditum iucundiora: — ad *numerum* haec *pauciora* sunt, ad usum meliora; alia eiusmodi. Dicit igitur orator: „faciam id, quod est ad severitatem (severitatem si spectas) *lenius* (i. e. mitius, minus severum) et ad communem salutem utilius." Quod Bootius proponit, *lentius*, recte se haberet, si praecederet, *ad vehementiam*, *ferocitatem*, *iracundiam*, alia, nam huius vocabuli significatio late patet; *severitati* autem, quantum memini, non opponitur.

residebit in republica. „Voluit: *in urbe residebit;* nam qui in castra Malliana proficiscebantur, in republica quoque erant." R. — Vide, quo feratnr carpendi studio: si enim orator, quod ille praescribit, *in urbe* dixisset, ei obiiceret, *in re publica* esse dicendum, quoniam qui in castra proficiscerentur, essent tamen in re publica. Cuiusmodi fere argumentum eum adhibuisse vidimus § 5. ad verba: *intra moenia intestinam perniciem*, quem locum hic confert, ut ostendat scilicet, utroque loco lapsum esse rhetorem: de illo autem supra dictum est, de hoc iam videamus. Primo confundit noster duces coniurationis cum vulgo, quod adhuc in castris Mallianis erat, de quo conf. Sallust. cap. 28, 4. Hi latrones et infimae fere conditionis homines palam contra patriam arma gerentes nonnihil timoris subinde per Italiam concitabant, nec tamen grave ab his rei publicae periculum imminebat: illi vero clandestinis consiliis rei publicae perniciem moliebantur, nec quanto numero quoque loco essent, satis certo sciri poterat, erantque ita multo magis timendi. Deinde, hos socios non in urbe tantum, sed per totam Italiam ceterasque rei publicae partes dispersos fuisse, et ceteroquin intelligitur, et apud Sallust. (cap. 21.) Catilina etiam imperatores in externis provinciis coniurationis socios nominat. Hi omnes igitur si, priusquam plane detecta et oppressa con-

iuratio esset, Catilina fuisset interfectus, ad tempus quievissent quidem; sed, nisi grave exemplum statueretur, mox alio duce aliam denuo coniurationem fortasse fecissent, quum resideret in re publica stirps ac semen malorum. Ceterum non assentior Ruhnkenio delenti *reliqua*, quod hic aeque opponitur antecedentibus *si te interfici iussero*, ac § 31. *vivis reliquis* verbis *istius poena.*

exhaurietur — sentina reipubl. „Sentina est fundus navis, quo aqua et sordes confluunt." R. — Prima huius vocabuli notio est, omne quod *foetet*, *sordes*, *stercus*, ac praecipue dicitur de iis sordibus, quae in fundum navis confluunt, aqua marina corrupta, alia; cf. Plinius H. N. X, 70, 90. Seneca Epist. 30. Iuvenalis Sat. VI, 90. alii. Deinde etiam fundus navis interdum *sentina* dici videtur: quamquam loco a Rinkesio e Cat. Mai. allato (c. 6, § 17) potius de sordibus ipsis accipiendum esse suadet verbum *exhaurire;* quumque duobus aliis, quos confert, locis translatione *sentina* usurpetur, non erat quod tam confidenter iterum diceret: „Sentina igitur locus est, pars navis." Illa enim significatio certa est atque abunde exemplis confirmari potest, hanc nisi meliore exemplo probaverit, ex eiusmodi locis conficere licet, non certo affirmare, multo minus argumentum inde petere ad veram significationem obscurandam: sophistarum ea est, non Socratica disputandi ratio. Post hanc inductionem denique, quasi iam de veritate nemo dubitet, indignatus exclamat: „quid vero esse potest *reipubl. sentina magna et perniciosa — quae exhaurietur*?" Respondeat pro nobis Cic. de leg. agrar. II, 26, 70: „Urbanam plebem nimium in re publica posse: *exhauriendam* esse: hoc enim verbo est usus, quasi de aliqua *sentina*, ac non de optimorum genere civium loqueretur." Val. Max. II, 7, 1: „Hac turpi atque erubescenda *sentina* vacuefactus noster exercitus". cff. etiam Cic. Att. I, 19, 4. Orat. Cat. III, 4, 7. Liv. XXIV 29, 3. alii. Videmus igitur etiam allegorice primam huius vocabuli significationem maxime servari: quamquam ex locis a R. allatis (Cic. ad Fam. IX, 15, 3. et Sallust. c. 37.) fortasse ex aliis, interdum hoc vocabulo locum indicari apparet, quo sordes et faex civium quasi confluunt, vel

quo infima plebs continetur. Recte igitur comites Catilinae (qui quales essent discimus ex Sallust. c. 16, 37, et passim) *magna et perniciosa sentina reipubl.* vocantur, consentiente etiam Bootio, qui tamen *genitiv. definitivum* non concoquens, ut videtur, *turbam* excidisse putat, quod nec opus neque utile esse arbitror.

§ 13. *Num dubitas?* „Interrogandi particula *num* requirit necessario negationem. Si Cicero igitur *sciebat*, quid Catilina facturus esset, defendi *posset* haec dicendi ratio: quod sequitur vero *num in exsilium?* absurdum est." R. — Hoc bene tuetur B., illud omisit, taedio fortasse inelegantis et incertae orationis. Sed hoc certe inde apparet,non vidisse Rinkesium, negationem iam parari illis verbis: *quid est Catilina?* quasi ex ore vultuque eius intelligat orator nolle eum exire, ut apud Horat. Serm I, 1, 19: „Quid statis? Nolunt." Igitur non defendi modo illa possunt, sed nulla quidem defensione egent.

quod iam tua sponte faciebas. „Halmius adnotat, *facere volebas*, quod absurdum est: nam Catilina *facturus erat* sponte id, quod nunc ei imperari dicitur." R. — Etsi ratio quam reddit obscurior est, non obscure tamen interpretationem improbat, quae unice vera videtur, nec pugnat contra usum sermonis. Quid autem Cicero imperat? Nimirum, *ut exeat.* At ipse Catilina se exire velle confirmaverat § 9: ergo tum sua sponte id facere volebat, agebat, quod iam iubetur. Poterat etiam h. l. dicere *agebas*, sed quo melius respondeat praecedentibus, *me imperante facere*, dicit, et recte dicere potest, *faciebas* i. e. in animo habebas facere, cogitabas. Nec Bootio assentiri possum verissime Ciceronem rogare potuisse: *Num dubitas* — *quod iam tua sponte facis?* Neque enim exibat Catilina; sed iam iubente Consule dubitare videbatur id facere, quod prius sua sponte faciebat, agebat, parabat.

non iubeo, sed suadeo. „Stultum hoc est; nam non poterat Cicero Catilinam iubere in exsilium ire; *nulla enim lex erat*" cet. R. — Immo stultum potius, si iuberet; iam prudenter agit orator non iubendo id, quod per legem et morem non liceat.

Sperasse tamen illud Catilina videtur, atque idcirco postulare, ut ea de re ad senatum referret. Vide § 20, ubi de hoc plura dicentur. Sed ab oratoris sententia Rinkesium plane aberrare, ex iis etiam apparet, quae adnotat ad verba: *si me consulis.* „Inepte haec adduntur, ac si Catilina is esset, qui Ciceronem in ea re consuleret." Quicunque enim non plane rudis literarum, nec praeiudicata opinione haec legit, statim videt non vere illa interrogare, neque consulere Catilinam, sed artificiose haec ab oratore fingi, quo his quasi respondendo occasionem nanciscatur ea dicendi, quae suae causae prodesse intelligat, atque adversarium, ne quid forte interrogando se urguere possit, praeoccupet. Fac enim post illa verba: „exire ex urbe iubet Consul hostem," Catilinam aut aliquem interrogasse: *quo ire iubes?* quid quaeso Cicero respondisset? Vix enim dicere potuit, *in castra*, ne quo iure, quemadmodum patriam sibi obiicientem facit § 27, ab eo *immissus in urbem* esse dici posset eique exprobrari, quod ad bellum patriae inferendum eum impulisset. In *exsilium* mittere autem quum legibus non concederetur, quo nomine tandem eum exire iuberet, „qui unus timendus erat ex omnibus, sed tam diu, dum moenibus urbis continebatur", Orat. Cat. III, § 16? Ergo ut eam quaestionem praeveniat, acutus orator ipse Catilinam interrogantem facit: *num in exsilium?* ut eo, quo vult, perveniat, et a iubendo quasi transiens ad consulendum, viam sibi muniat ad ea quae deinceps dicturus est. Ne quis tamen his contraria esse putet quae leguntur § 23: „si in exsilium iussu Consulis ieris," non nimis urguenda illa verba esse moneo, quae si cum his comparata bene perpenderis, ita accipienda esse perspicies: *si a consule iussus abire, non in castra, sed in exsilium ieris.* cf. Orat. II, 7, 14.

CAPUT VI.

quid est enim cet. „Exponuntur in capp. 6 et 7 et *in* priore parte cap. 8 causae, ob quas Catilinae ut ex urbe proficiscatur, suadet consul. Totam hanc particulam orationis melius

omisisset orator." R. — Hoc deinde more suo variis argutiis probare conatur, et singula ridicula reddendo totum evertere studet; de quibus suo loco videbimus. Ex omnibus autem unum illud vere dictnm esse invenio: „vocabula *quid est enim* rationem continent eorum, quae praecedunt," quamquam ne hoc ipsum quidem vitio caret. Absurdum enim esse dicit „Ciceronem consilium dare Catilinae, ut ex urbe proficiscatur, quum iam in superioribus ei dixisset: *num dubitas id me imperante facere, quod iam tua sponte faciebas.*" At non ad illa referenda est particula *enim*, verum ad proxime praecedentia: *si me consulis, suadeo*, cuius causas iam hinc incipit ei exponere. Adhuc enim orator patriae civiumque causam agens omnium saluti necesse esse ostendit, ut Catilina, quum interficere eum nondum utile arbitretur, ex urbe exeat, idque Consul hostem iubet. Iam vero, quasi severitatem suam remittens, ipsi Catilinae quoque utilissimum illud fore coepit demonstrare. Quod dum omnibus modis persuadere ei velle videtur, mira arte hominem tractat, et partim sortem eius commiserando, cui nullus in urbe remanendi locus relictus sit, partim convitiando atque atrocia et nefanda crimina ei obiiciendo, simul auditorum odio et contemtui eum tradit, simul omnem spem successus in urbe manenti ei adimit et ad desperationem suarum rerum adductum impellit, ut consilium proficiscendi maturet. Nec frustra quidem conatum esse oratorem videmus: nam quum finita oratione expurgare se apud senatores ac dissimulare coepisset, omnes ei obstrepuisse, ipsum autem quum inde domum se proripuisset, eadem illa nocte in Malliana castra profectum esse, legimus apud Sallust. cap. 31, 32.

§ 14. *morte superioris uxoris — vacuefecisses.* „Hoc tamen non fecit *morte*, sed *nece* uxoris suae." R. — Idem sentit B., quoniam mox sequatur *hoc scelus*, seque facilius laturum dicit, si *morti* adderetur aliquod adiunctum. Etsi non nego violentam mortem saepius *necem* vel *caedem* dici, non desunt loci, quibus probetur, eandem etiam vocabulo *morte*, sine ullo attributo, indicari, si vel auctor addatur, vel aliud unde vi illatam mortem significari appareat. Orat. Cat. IV, § 20: „*mors*, quam

illi fortasse minitantur." in Verr. III, § 120: „Eadem sibi manu vitam exhausisse, qua *mortem* saepe hostibus obtulisset." ibid. § 129: „quaerere *morte* et suspendio remedium iniuriae suae." Sic *mortem sibi consciscere*, alia eiusmodi. Iam vero h. l. auctorem latere in verbo *vacuefecisses*, quis non videt? qui enim morte uxoris domum vacuefecit, is eam necaverit necesse est: alioqui dicendum erat, *quum domus vacuefacta esset* vel *vacaret* novis nuptiis. Quod indicium mirum quantum augetur, quum orator statim eandem rem appellet *hoc scelus*. De errore historico, quem R. oratori obiicit, vide quae disputat B.

ad privatam ignominiam vitiorum. „Non dici hoc potest de ignominia, quae nascitur ex vita privata." R. — Hoc cum Bootio facile ei concedo; sed eiusmodi quid dicere orator mihi videtur: ad eam ignominiam, quae orta est e vitiis tuis ad privatam vitam pertinentibus. Opponuntur enim haec sequentibus; „quae ad summam rem publicam atque ad omnium nostram vitam salutemque pertinent."

§ 15. *huius coeli spiritus.* „Absurdum est, nam coelum certe spiritum non habet." R. — Eodem iure quis dicat, *spes salutis*, *scientia iuris*, *studium literarum*, similia absurde dicta esse, quia *salus* certe *spem* non habeat, nec *ius scientiam*, nec *literae* quidem *studeant*. Vix credendum est adeo insulse haec ab eo dici potuisse, qui paullo ante ita est locutus: „spiritus apud Ciceronem est spiratio, anhelitus; apud eum v. c. legitur: *aër, quem spiritu ducimus; aër spiritu ductus*" cet. Ergo non intellexit *coeli* genitivum objectiv. esse? An ignorat *coelum* saepe pro *aëre* dici? quod e plurimis tamen Ciceronis aliorumque locis discere potuit. cf. de Div. I, 57, 130: „Adspiratio *coeli* gravis et pestilens". ibid. II, § 98: „In puero referre in qua affectione *coeli* primum spiritum duxerit." Quinctil. Inst. Or. X, 3, 22: „Libertas *coeli* locorumque amoenitas." Quoties legimus v. c. *coelum* serenum, tenue, salubre, grave, palustre, hibernum, sexcenta alia? Ceterum *vitam in urbe* his verbis significari, ex illustri Ciceronis loco Rinkesium docere volo,

pro C. Rabir. 15: „quem non modo foro, sed etiam *coelo hoc ac spiritu* censoriae leges, atque urbis domicilio carere voluerunt."

Te stetisse in comitio cum telo. „Quid interesset inter stare cum telo, et: esse cum telo, latuit rhetorem." R. — Discrimen fingi potius a censore, quam vere exstare credo; quod Bootio non displicuisse eo magis miror, quia recte ostendit iungenda esse *stetisse in comitio*, et *cum telo* referre graecum ὄντα σὺν μαχαίρᾳ. *Cum telo esse* igitur idem notat atque *armatum esse*, nec Rinkesio assentior semper hanc significationem habere: „versari cum telo hic illic ut insidiose aliquem interficias," ne illo quidem loco, quem e. gr. confert e Sallust. c. 27: „Ipse cum telo esse, item alios iubere, hortari, ut semper intenti paratique essent." Haec enim ita interpretor: ipse semper armatus erat, et ceteros telum secum habere iussit; hortabatur eos, ut ad omnia intenti et parati essent: nimirum ad vim tam repellendam, quam inferendam. Non inutile arbitror Ciceronis locum adscribere pro Mil. 4,11: „Etsi persapienter et quodammodo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quae non modo hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat, ut cum *causa*, non *telum* quaereretur, qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum iudicaretur." cf. in Verr. V, 3, 7. Iam *stare cum telo*, quid aliud notat, quam telum habentem, armatum aliquo loco stare, sive sponte id facias, sive alterius iussu; nam hoc significat R. dicens: „dicitur de iis, qui quavis de causa aliquo loco sunt collocati." Ergo *parata manus*, quam Catilina secum habebat, *collocata erat*, ipse autem *in comitio cum telo stabat.* Quid praesidii vero ad discrimen probandum sibi speraverit R. e loco Ciceronis quem citat, Phil. II, 4, 8, non intelligo, qui si omissa ab eo verba addam, contrarium potius probare videbitur, unde quo consilio illi homines cum gladiis starent, apparebit; „qui quum hoc ipso tempore *stent cum gladiis* in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos *inter sicarios* defensurus." Quid igitur hoc differt ab interpretatione verborum *cum telo esse*, quam dedit R.?

aut non multa postea commissa. Mirum videri debet, post sanam simplicemque Mureti interpretationem: „quod et nota sint et multa alia postea commiserit Catilina," de horum verborum significatione dubitare quemquam potuisse. Tamen R. multa garriens, *haec nihil significare* se putare dicit: B. autem particulam *postea* etiam ad praecedentia transferens, et coniungens *aut obscura aut non multa*, sententiam mire quam distorquet. Ac iam illa omitto, dicit orator; nam et satis nota sunt (ut non opus sit diutius in iis morari) et alia non pauca postea (a te) sunt commissa (quibus ab illis animus avertitur).

et, ut aiunt, corpore effugi. „*Ut aiunt* indicat proverbialiter hoc esse dictum; at nullum unquam proverbium fuit Latinis: corpore effugere aliquid." R. — Tam audacter asseverare vix audeat ille, qui summo studio omnes latinos scriptores perlegerit: ab adolescente saltem exspectes modeste dicat: hoc proverbium alio loco me legere non memini, et dubito, an in usu fuerit apud Latinos. Mihi vero etiamsi persuasum esset, apud illos scriptores, qui ad nos pervenerunt, nusquam illud inveniri, vel hic unus locus, linguae praesertim ratione non obstante, sufficeret ad credendum, *corpore effugere* proverbialiter dictum fuisse pro *nudo corpore*, non tegumento quodam, sed sola corporis agilitate periculum effugere. Verba *parva quadam declinatione* quasi explicationem eius dicti continere videntur, nec puto legendum esse *declinatione corporis*, quum addatur *ut aiunt*, quo vel in proverbiis, vel in enarrando aliquo facto sive dicto, non in vulgari locutione utuntur. Erasmum quoque eiusdem sententiae fuisse video, qui in Adagia sua etiam hoc recepit, atque ita exponit (pag 209): „*Corpore effugere* est periculum iam imminens ac paene premens arte quadam declinare. Translatum a gladiatoribus, ictum modico corporis flexu fallentibus cet." Eadem ratione fere dixeris: *manibus se defendere* de eo, qui nullis armis, sola vi manuum se defendat: et legimus apud Senec. Ep. 52: „quaedam ingenia facilia et expedita: quaedam *manu, quod aiunt*, facienda sunt," i. e. opera et arte. idem Epist. 115: „*oratio manu facta*," i. e. artificiosa. Notum etiam dictum est *manibus pedibusque:* cuius generis plura exempla colligi et

comparari inter se haud abs re fore arbitror, quamquam nunc me non vacat. cf. Bootius.

Nihil assequeris. „Novissimi editores repudiaverunt: *nihil agis, nihil moliris*, quae ex § 8. huc pedem intulisse dicunt." R. — Etsi in textu prudenter haec verba omisit, tamen ea desiderare videtur, quum etiam illa Mureti laudet: „*assequi* est ἐπιτυχεῖν, quod plane hoc loco non convenit; est autem *nihil sequeris*, nihil tibi proponis." Quandoque bonus dormitat Homerus! quamquam vix intelligo, qui tantus vir additis illis verbis adeo se decipi passus sit, ut in ridiculum errorem incideret, neque assentior Bootio, *non spernendam videri Mureti emendationem, quamdiu sic legeretur.* Videre enim debuerat acutus vir, propter sequentia verba aliena ista additamenta omnino esse eiicienda. Etenim qua sententia tandem illa dicerentur: nihil moliris, nihil sequeris i. e. *tibi proponis*; neque tamen *conari ac velle* desistis? Quid ergo *conatur* ac *vult?* scilicet *aliquid sibi proponere* et *moliri!* Immo *assequeris* legendum est, et significatio verbi ἐπιτυχεῖν unice h. l. convenit. Dicit enim orator: omnibus tuis insidiis petitionibusque *nihil assequeris*, nihil proficis, neque tamen *conari ac velle* (mihi insidiari, me petere) desistis. Non displicere tamen fateor quod habet Matthiae, qui tantum expungens *nihil moliris* servat *nihil agis*, quod eiusdem fere significationis est atque *assequeris*, et sic scripsisse Ciceronem arbitror, tum quod duo etiam sequuntur, *conari et velle*, tum quod melius sic intelligitur, quomodo huc e § 8. transferri potuerit vocab. *moliris*, quoniam et illic, quamquam alia notionè, praecedit *nihil agis.*

§ 16. *in Consulis corpore defigere.* „Defigimus aliquid ita firmiter, ut maneat." R. — Errorem egregie indicavit B., nec opus erat quidquam addere; sed lubet mihi explorare, quibus Ciceronis verbis tandem impulsus ita lapsus sit. Confert enim pro Flacc. 1, 3: „Salutem praesentium, spem reliquorum in vestra potestate, in vestris sententiis, in hoc uno iudicio positam et defixam putetis," additque interpretandi causa: *i. e. ut divelli ab hoc iudicio non queat.* Ergo etiam, *ut a vestra potestate,*

a vestris sententiis divelli nequeat; neque enim a reliquis seiungenda haec sunt. Quae quid significare possint ipse viderit. Sed alia etiam causa fuisse videtur cur hunc locum potissimum afferret, quum deinde ita pergat; „in qua §, ut hoc obiter moneam, pro: quoniam multa nos et in nostris rebus, et in republica fefellerunt, *ferimus* ea, quae sunt ferenda, legendum est: *feremus* ea quae sunt ferenda." Frustra, puto, monet, nam nihil mutandum videtur, quia *ferimus* h. l. est *ferre solemus*, quod suadent etiam verba *quae sunt ferenda* notione praesentis.

CAPUT VII.

Nunc vero. „Particula *nunc* quam maxime fieri potest, inepte ponitur." R. — Sic iudicat, quia non sequatur *oppositio eorum quae praecedunt.* Ergo inepte etiam Cic. de Fin: II, 15, 50: „quid *nunc* honeste dicit? Idemne quod iucunde? Ergo ita: non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur"? Nulla enim in his est *oppositio*, sed ex antecedentibus conclusio deducitur. Quae autem oppositio est in illis ad Att. II, 24: „*Nunc* reus erat apud Crassum Divitem Vettius de vi: et quum esset damnatus, erat iudicium postulaturus." Sed ex tam multis locis demonstrari potest, *nunc* saepe usurpari pro *iam*, ut mirum profecto sit Rinkesium non sensisse *nunc vero*, quia nulla sit oppositio, h. l. dici pro *iam vero.* cf. Bootius.

misericordia, quae tibi nulla debetur. „Igitur absurde agit orator." R. — Uter absurdius agere videtur, qui odium dissimulans misericordem se fingit, quo magis mordeat adversarium eiusque causae noceat, an is, qui ficte eum loqui non intelligens stomachatur, quod indigno misericordiam praestare velit? Sed fugisse Rinkesium huius loci artem et ironiam oratoris, iam ex iis apparuit, quae c. VI. praemisit: quamquam h. l. addita verba, *ut permotus esse videar*, et *quae tibi nulla debetur*, mentem oratoris satis indicare videntur.

vocis exspectas contumeliam. „Hoc aeque ac *iudicium taciturnitatis* nihil potest significare. Excogitata haec sunt a rhetore ut *bellam ederet* oppositionem." R. — Deinde dicendum fuisse *verborum contumeliis* conficit e Cic. Phil. XI, 2, 5: „cum verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerasset." At verborum contumeliae illic sunt *contumeliosa verba*, quod h. l. minime aptum esset; *vox* enim opponitur *taciturnitati*, ut *contumelia gravissimo iudicio.* Falso igitur putat *vocis* convenire cum *verborum contumeliis*, quum potius cum *ore* sit comparandum; est enim genitivus subiect., cuius obiectum est *contumelia*, dicitque orator: *exspectas contumeliam voce, ore prolatam?* Igitur non perinde est, quod Bootio videtur, utrum *verborum* an *vocis contumeliam* dicas, ne subiectum et obiectum confundi videantur, neque eidem concedo *taciturnitatis* genitivum definitivum esse; huius enim vocabuli plane similem atque illius rationem esse ex oppositione apparet. Sed ab ipso oratore rem quasi explicari nobis atque illustrari videmus § 20: „quid exspectas auctoritatem *loquentium*, quorum voluntatem *tacitorum* perspicis?" Admodum festive autem Rinkesius (cui multa adhuc discenda sunt, ut bene docere possit) *taciturnitatis* genitivum obiect. esse contendit. Nam ut dicitur, *habuit quaestionem pecuniae publicae* i. e. de pecunia publica; vocare aliquem *in iudicium capitis*, i. e. de capite, alia: „sic gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus is est, qui taciturnitatis est damnatus." Ergo etiam populi iudicium significare ei videtur *iudicium de populo*, et iudicum sententia, *sententia* de iudicibus?

persaepe ad caedem constituti fuerunt. Non aequiescit R. in Madvigii interpretatione: „*habuisse* Catilinam senatores ad caedem *constitutos*, non *constituisse* tantum," quod *libenter faceret, si capere posset*, „qui hoc modo illi consulares *persaepe* constituti *fuerunt*, ad caedem fuissent; quodsi quo modo hoc fieri possit, mihi explicetur, fatebor latinum esse," cet. Ego quoque si mihi explicetur, quomodo illa dicantur, latina esse fatebor: tantum certe inde conficio, *fuerunt* et *persaepe* ei obesse, in quo consentientem habet Bootium, qui primum verum esse putat *saepe*, deinde melius tolli iudicat. Mihi nihil mutandum videtur, quod

iam ipsa re probare conabor: neque idcirco tamen putes me in Madvigii interpretatione plane acquiescere, qui non satis dilucide quae sentiret, explicavisse videtur. Talia enim Catilinae sub persona patriae obiicere oratorem videmus § 18: „Tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio — impunita fuit ac libera". Quae ne nimis aucta cui fortasse videantur, Sallustii testimonium addamus, qui c. 16. in aliis haec dicit: „Post ubi eorum famam atque pudorem attriverat, maiora alia imperabat: si causa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilominus insontes, sicuti sontes, circumvenire, iugulare. Scilicet ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat." Multas igitur ab eo commissas esse caedes constat: plures etiam fuisse tentatas, sed vel casu quodam, vel cavendo et vigilando prohibitas esse, et ipsa re intelligitur, et passim ab oratore memoratur, ut § 11: Magna Diis habenda est gratia, quod hanc — pestem *toties* iam effugimus". ibid. „*quotiescunque* me petisti". § 16: „*quoties* tibi iam extorta est sica ista de manibus? *quoties* excidit casu aliquo et elapsa est?" alia. Iam principes in primis viros, ut par erat, Consulem atque consulares eius sica petebat, cf. § 2, 7, 11, 15, 16, cet. Hi igitur donec parabantur insidiae ad caedem constituti *erant;* quas simulatque evaserant, *constituti fuisse* iidem erant dicendi. Ergo nihil mutandum esse videmus, et recte omnino dicit orator: „qui tibi *persaepe* ad caedem constituti *fuerunt*", qui toties iam tuas insidias effugerunt.

§ 17. *servi si me isto pacto metuerent.* Indignatur Rink. quod titubans rhetor pro *isto pacto* non scripserit, *quod Romani soleant, tantopere.* — Quid autem solent Romani? An semper pro *isto pacto* scribere *tantopere?* Nam qui h. l. potissimum illud facere soleant, non intelligo. At ne Rink. quidem ignorat, saepe etiam a Romanis scribi *quo pacto, eo, isto, nullo pacto;* sed quatenus *isto pacto* differat a *tantopere,* nec debuisse oratorem hoc pro illo scribere, ignorare videtur, idque eum docebo. Servi mei, dicit orator, si me non ut severum durumque dominum metuerent, sed ut crudelem ac furiosum hominem, unde per vim et insidias vitae periculum et quaevis horrenda sibi imminere

sentirent, *quo pacto* cives tui te metuunt, domum meam relinquendam putarem. *Tantopere* gradum metus indicaret, *adeo, usque eo;* sed hic eius *rationem, modum* significari videmus, atque ita *non titubans* orator recte dicit: si me *isto pacto* metuerent, *ut* — *eodem modo, quo* te metuunt cives tui. Quae vero causa est, cur R. in iis enumerandis, quae cives metuenda haberent, talia omittat, quae aeque servis ac liberis metum facere possunt, illa tantum nominet, quae servis nulla esse scimus? Dicit enim: „ne Catilina domus, *tecta* sua vastaret, bona diriperet, sed ne hoc fiat servi metuere non possunt." At vim, insidias, caedem, quaevis crudelia non minus quam cives metuunt; cur quaeso haec omisit? An forte ut iure quodam videri posset cum Morstadtio exclamare: *absurdi quid nasci?*

omnes cives tui. „Praeterquam quod hoc verum non est, etiam hoc nomine reprehendendus est usus horum vocabulorum, quod orator adhuc non de omnibus sed de senatoribus egerit." R. — Praeterquam quod hoc verum non est: legimus enim initio c. VI: „in qua (urbe) nemo est extra cet. — qui te non metuit, nemo qui non oderit;" — sed etiamsi nulla adhuc civium mentio esset facta, quid oratorem prohiberet, iam a senatoribus ad ceteros cives transire, quo viam sibi muniret ad ea, quae deinceps sub patriae persona, quam *communem omnium nostrum parentem* vocat, dicturus est? Tum *omnes cives* qua ratione dicatur ex l. l. discere possumus: „in qua *nemo* est *extra istam coniurationem perditorum hominum*" cet.; hi enim civium nomine indigni erant, ut legimus § 28: „At nunquam in hac urbe ii, qui a re publica defecerunt, civium iura tenuerunt." Ceterum cff. quae adnotavimus ad verba *vitam omnium civium* § 12.

si te parentes timerent. „Comparatio haec est: si parentes te odissent, aliquo concederes; nunc patria te metuit; exspectare igitur iure possemus: *igitur relinque urbem.* At haec ratio non placet oratori nostro." R. — *Haec verba* saltem non placuerunt oratori, qui multo elegantius conclusionem facit per verba: „huius tu neque auctoritatem verebere" cet., quae R. (de quo mox videbimus) libenter fatetur *se non capere:* quod minime

quidem mirandum est, quoniam his neglectis comparationis solutionem demum quaerit in verbis „discede atque hunc mihi timorem eripe," in fine § 18. Etiam Bootius *inchoatam magis, quam absolutam comparationem* dicens coniicit legendum esse, *nunc si te patria* cet., quae particulae quomodo hic bene coniungantur, non intelligo. Miror neutrum eorum vidisse, non tam comparationem hanc esse, quam syllogisticam rationem, quod ex Mureti interpretatione, quam confert etiam B., discere potuerant: „Hoc a pari ductum videri potest. Par ratio est parentum et patriae. At si te parentes metuerent, atque odissent, secederes. Idem igitur facere debes, cum te metuat atque oderit patria." Ex duobus enim praemissis elicitur conclusio; enunciatio *maior* est: „Si te parentes timerent — ab eorum oculis aliquo concederes;" *minor:* „nunc te patria communis parens odit ac metuit." Iam expectes conclusionem: *ergo e patria discedendum est*, quod bene vidit R., non vidit sequentibus verbis eam contineri, atque longius aberrat; eleganter enim orator desinit in quaestionem, unde ipsi Catilinae conclusionem deducere relinquit. Male igitur R. *punctum* ponit post *cogitare;* per *colon* enim singulae partes syllogisticae rationis distinguendae sunt.

neque eos ulla ratione placare posses. „Haec absurda sunt, nisi putes Catilinam omni modo conatum esse cum patria in gratiam redire; quod quum non ita factum *sit*, omittenda *fuissent.*" R. — Ergo *implacabile odium* non dicitur, nisi prius omni modo quis conatus sit cum inimico in gratiam redire? At si indicare vellet orator, Catilinam omni modo conatum esse cum parentibus in gratiam redire, dicendum erat *placare potuisses.* Sed hoc dicit: *si parentum timorem et odium nulla alia ratione placare posset*, aliquo eum concessurum esse. Iam vero Patriae odium metumque nulla alia ratione placari posse, quam si discederet, eius alloquio haud obscure indicatur.

huius tu neque auctoritatem — neque vim pertimesces? Haec quum, ut vidimus, Rinkesius *se non capere* fateatur, eius ignorantiae occurrendum esse videtur. Verba autem *iudicium sequere*

recte ita interpretatur B.: „neque obtemperabis iudicio, quod patria de te fert?" Minus recte, ut videtur, sequentia: „*vim pertimesces* aperte est *violentiam metues*, metues ne vim tibi adhibeat, sed propter sequentem *προσωποποιίαν* suspicor *vim* mutandum esse in *vocem*." Tria hic spectanda sunt, *auctoritas, iudicium, vis:* primum pertinet ad comparationem *parentium*, quorum ut liberis, sic civibus patriae, communis omnium parentis, auctoritas est verenda. *Iudicium* sententia est, quam de Catilina fert Patria, atque ita ipsum, quod sequitur, alloquium, quo causas exponit, cur eum oderit et metuat, tandemque, quum alia ratione placari non possit, ut discedat eum hortatur. Tertio addit: „neque *vim* pertimesces"? ut ei ostendat, si neque *auctoritas* neque *iudicium* quidquam eum moveant, opes non deesse patriae, ut *per vim* discedere eum cogat. Quibus optime respondent, quae initio c. VIII. dicuntur: „nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit"? Quis igitur non videt, si *vim* in *vocem* mutes, *tertium* cum *altero* confundi et progressionem turbari?

§ 18. *tacita loquitur.* „Tacitum loquentem, quod sciam, Cicero neminem in scenam producit." R. — Cui recte respondet B., a quo collatis exemplis pauca addere volo; Cic. pro lege Man. 5, 13: „Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant." pro Cluentio 63: „vocat me alio iam dudum tacita vestra exspectatio." Liv. II, 58: tacite praetereuntem exsecrari." Sic supra § 16: „iudicio taciturnitatis". § 21: „dum tacent clamant," ubi plura de hac re dicentur.

me totam esse in metu. „Dissentit igitur patria ab oratore nostro, qui § 5. diserte indicat, multos adhuc esse, qui quod de Catilina narrabatur nondum crederent, cet." R. — At nihil eiusmodi eo loco diserte indicatur; verum § 30. dicit: si in Catilinam animadvertisset, multos improbos et imperitos crudeliter et regie factum dicturos esse. Consentit autem orator cum Patria, qui iam initio orationis dicit: „timor populi, concursus bonorum omnium." Idem aliis locis alio modo, et § 17: „Ut te metuunt omnes cives tui", ad quem locum, qui hoc nomine intel-

ligendi sint, demonstravi. Quum igitur omnes cives in metu essent propter Catilinam, patria autem ex civibus constaret, recte Cicero Patriam dicentem facit: „me totam esse in metu propter unum te."

si est verus — sin falsus. „Communis omnium parens, quae sic loquitur, habet quod Ciceronem consulem accuset. Videtur enim nescire essetne revera a Catilina" cet. R. — Contra has insulsas argutias locum recte tuetur B. Similis fere locus mihi succurrit, Liv. II, 2. 7: „amicus abi; exonera civitatem *vano forsitan metu*, ita persuasum est animis, cum gente Tarquinia regnum hinc abiturum." Non inquirit Brutus, verus an vanus sit metus, sed omni ratione metu liberandam esse civitatem censet. Sic patria h. l. non iudicis partes agit, sed parentis; non minatur nec iubet, sed queritur et hortatur, atque hoc tantum postulat, ut vel periculo, vel etiam timore liberetur. Saepe autem in dilemmate alterum addi tantum solet, ut alterius vis oppositione augeatur, ut h. l.: etiamsi falsus esset timor, tamen eo liberanda essem: quid, si verus est? Eiusdem fere generis oppositionem deprehendimus in quibusdam dictis, quae in communi vita in usu sunt, v. c. *omnia vera et falsa credere* i. e. quaecunque, nihil non: *per fas et nefas* i. e. quacunque ratione ac modo, alia. cf. Sallust. B. C. c. 11: „Avaritia — semper infinita, insatiabilis est; neque *copia* neque *inopia* minuitur," ubi qui culpare mavult, quam explicare, absurde dici clamaverit: *avaritiam minui inopia.*

CAPUT VIII.

§ 19. *ut dixi.* „Necessarium igitur visum est oratori Catilinae in memoriam revocare praecedentia a patria esse dicta." R. — His rationibus, ut videtur, permotus B. *putidum emblema* abiicit. Igitur legendum erit: „Haec si tecum patria loquatur." Quid autem? Hoc modo non in memoriam ei revocatur (si ante dictorum commemoratio hoc nomine dicenda sit)

praecedentia a patria esse dicta? Sed fieri illud solere videmus, quum loquens quis inductus sit, ut finitam eius orationem esse, iamque ad responsum vel ad cetera se transire orator indicet, quod vario modo fieri potest. Initio cap. XII, quum rem publicam loquentem induxisset, his verbis eam dixisse notum facit: „His ego sanctissimis Rei publicae vocibus — pauca respondebo," aliter alibi; h. l. repetitione quadam eorum, quae prius dixerat, „patria — quae tecum sic agit et quodammodo tacita loquitur," quibus quum non satis respondeant verba: „haec si tecum patria loquatur," orator, ne reliqua iisdem verbis reddat, additis *ut dixi* se patriae partes egisse ostendere videtur.

nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit? „Igitur patria *certe* impetraret vi adhibita: sed verbi impetrandi haec vis est, ut de volente dicatur, non de invito." R. — Primum hoc verum non est; nam etsi usus voluit, ut de volente saepius diceretur, non raro etiam de invito adhiberi constat. Livius II, 46, 6: „Verbisne istis, ut pugnent, te impetraturum credis? Dii impetrabunt, per quos iuravere;" de cedente exercitu, qui ad pugnam *cogendus* est. Cic. Acad. II, 30, 97: „quum ab Epicuro non impetrent, ut verum esse concedat;" i. e quum ad concedendum disputando *cogere* non possint. Propria enim huius verbi, quod recte docet B., significatio est *perficere*, ut legimus apud Plaut. Poen. V, 2, 14: „Incipere multo est, quam *impetrare* facilius." Hinc addita praesertim praepositione *ab* notat *efficere, consequi* sive gratia, sive opera, sive denique cogendo. Deinde, ut ad illa revertamur, vide, quantopere sententiam contorqueat, ut rhetor iungere videatur *impetrare* et *vim*, quo ei obiicere possit, quod contraria coniunxerit. Sed quis non videt verba *etiamsi non possit*, disiunctivam potius, quam copulativam significationem habere, ita ut illa vocabula quodammodo sibi opponantur, hoc modo: nonne *postulando* a te impetrare debeat, etiamsi per vim *cogere* non possit? In mentem mihi venit haud dissimilis locus Horatii Satir. I, 3, 4: „Caesar, qui *cogere* posset, Si *peteret* per amicitiam patris atque suam, non Quicquam proficeret."

a me quoque id responsum tulisses. „Orator indicat Lepidum quoque dixisse, se nullo modo posse tuto esse" cet. R. — Talia aut eiusmodi hominem produnt, qui, ut Phaedrus ait, „non rem expedire, sed malum dare expetit", aut rudem veterum literarum, qui nesciat cogitando ea supplere, quae opus esse peritus statim sentiat. Quae enim de Lepido dixerat orator, *a quo non receptus* (ut infra de Metello *a quo repudiatus*), nonne indicant hunc respondisse: *nolle se eum recipere?* Iam idem rogatus Cicero simili modo se recusasse dicit, et rationem addit, quam huius rei ei reddidisset, non ita tamen ut haec etiam ad Lepidum sit referenda. Quum a me quoque (aeque atque a Lepido) repulsam tulisses his verbis: me nullo modo posse cet.

iisdem parietibus tuto esse tecum. „*Tuto esse parietibus* nihil significat et Latinum non est." R. — Credo, si sic iungas, ubi iungenda sunt *iisdem parietibus esse*, quibus accedit adverbium *tuto*. Iam quae ratio sit horum ablativorum quaerendum est. Non facio quidem cum Bootio praepos. *in* post *iisdem* inserente, quum non videam quid significare possit *in parietibus*. Sed quod fieri videmus in vocabulis *locus* et *tempus*, ut in ablativo ponantur sine praepositione, si addatur adiectivum, vel pronomen, hoc in pluribus locum habet addito pronomine *idem:* neque in iis tantum, quae ad mentem pertinent, ut *eadem sententia*, *opinione*, *iisdem studiis* esse, aliis; sed etiam in rebus corporeis, v. c. *eodem vestitu*, *habitu*, *ornatu*, *iisdem armis* esse cet. Simili autem ratione et h. l. dici existimo, „iisdem parietibus esse," quasi *eosdem parietes habere*, *iisdem parietibus uti*, vel etiam, quia his (ut bene observavit R.) opposita sunt „quod iisdem moenibus contineremur", *iisdem parietibus contineri.*

demigrasti. „Demigrandi verbum usurpatur de iis, qui *ex domo*, vel ex eo loco ubi habitant in alium transeunt *cum omni supellectili*, quod in hunc locum non cadit." R. — Hoc verbum per se nihil aliud significare, quam *domicilium alio transferre*, nulla adiuncta supellectilis notione, recte docuit B. Quid autem? qui *ex hac vita demigrant* (Cic. Tuscul. I, 30, 74. pro Rabir. 10, 30. Parad. 2, 13. alibi), etiamne illi *transeunt cum*

omni supellectili? An melius forte illud *cadit in* eum locum, quem legimus in Vatin. 16, 39? „Si *strumae* denique ab ore improbo *demigrarunt*, et aliis iam se locis collocarunt." Doceat igitur Rink., *cum qua* tandem *supellectili strumae* illae *in alium locum transierint.*

sed quam longe videtur a carcere — abesse debere. In his quae intacta reliquit R., *duo* Bootium offendunt: particula *sed* et verbum *debere;* nam *tertium:* „postremo ut ea, quae praecedunt quaeque sequuntur, haec quoque ad Catilinam convertenda erant," aut cum *primo* cohaeret, aut quid velit non intelligo. Ergo locum ita corrigit: „Dic: quam longe videtur a carcere atque vinculis abesse, qui se ipse" cet. Primum, cur displicet particula *sed?* nam aures certe eam offendere non magis puto, quam *dic: quam longe;* nec quidquam impedire video, quominus haec quoque *ad Catilinam convertantur*, quum ea particula non minus quam *autem* copulandi vel nectendi vim habeat, multoque aptior videatur ad seriem sententiarum finiendam, quam *dic*, unde novum potius locum oriri exspectes, quod longe secus est, quum mox sequatur conclusio: „Quae quum ita sint, Catilina" cet. Tum melius omitti putat verbum *debere*, quod vel idcirco servandum esse mihi videtur, quia non probabile sit ab interpolatore adiectum fuisse vocabulum, quod difficiliorem sententiam redderet; reputanti vero non sine causa, opinor, a Cicerone additum esse apparebit. Non enim ut accusator postulat, neque ut iudex pronuntiat, Catilinam carcere et vinculis dignum videri; sed ex eo, quod se ipse custodia dignum iudicarit, illud sequi existimat, ceteris eum videri non longe a carcere abesse debere, paene carcere dignum habendum esse.

Ceterum in his verbis paratam responsionem habemus ad ea, quae ridendi causa in oratorem iacit R.: *inter causas cur ei proficisceudum esset, festive etiam hanc recenseri:* „Catilinam se ipsum in custodiam dedisse, quo certe probavit sibi propositum esse in urbe manere." Nequaquam enim inter causas proficiscendi hanc recenset orator; sed argumentum inde petit ut convincat quasi Catilinam, ipsum se civitati periculosum iudi-

care, eoque magis patriae vocibus ei parendum esse. Quod vero ita probaverit sibi propositum esse in urbe manere, ab ingenio consilioque Catilinae prorsus alienum est; nihil enim nisi impudentiam suam audaciamque ille probavit, qui quo melius Consulis turbaret consilia, quasi ad coniurationis suspicionem vitandam, in custodiam se velle dare simulans iis potissimum se obtulisset, quos certo sciret se non recepturos esse, tandemque ne dicis causa fecisse videretur, ad sodalem demigrasset, qui profecto eum non cogeret diutius in urbe manere, quam ipsi commodum atque utile videretur: quod indicare Ciceronem opinor iis, quae ironice addit, *quem tu videlicet — fore putasti.* Artificiose igitur orator huius rei meminit, ut quantopere omnia eius consilia perspiciat et ipsi ostendat, et ceteris perspicienda ea praebeat.

§ 20. *Si emori aequo animo non potes.* „Inepta haec sunt. Mori aequo animo i. e. *tranquille*, dicitur de eo qui paratus est, qui mortem non metuit." R. — Aliud est *tranquille*, aliud *aequo animo* mori: illud enim in ipsa morte conspicitur, quum moriendi sensu non angitur quis, quum placida morte decedit: hoc vero dicitur quum libenter, sine indignatione mortem obit, ut legimus Cic. de Sen. 23, § 83 (quem locum ipse R. laudat): „Quid? quod sapientissimus quisque aequissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo" i. e. quod ille nihil omnino morti repugnat, hic vero quam maxime. Eadem ratione h. l. dicit: Si aequo animo mortem tibi consciscere non potes, si animus tuus morti repugnat; in quo nihil inepti deprehendere possum. Ineptum foret: *si tranquille* mori non potes; atqui hoc non dicit orator. Deinde non videt R., *quid mortis mentio hic faciat, quum de ea re in praecedentibus nihil legatur.* Cui respondens B. frustra, ut videtur, probare conatur, iam mortis quandam inesse significationem in verbis: „potestne tibi haec lux — esse iucundus?" § 15., quae eadem sententia dici existimo atque initio c. VI: „quid est, quod te iam in hac urbe delectare possit?" Sed ne debuit quidem ante mortis mentio fieri; adhuc enim versatus est orator in demonstrando cur utile, immo necesse esset, ut Catilina ex urbe proficisceretur: iam quasi tot argu-

mentis convicto ipsi persuasum sit, se in urbe manere non posse, optionem ei relinquere videtur, utrum voluntaria morte, an fuga civium oculis se substrahere malit. Vere igitur R. dicit: „Si haec significare debent: *cur mori metuis?* insulsa est illa quaestio" cet.; sed cur dicat, nescio; quis enim ita interpretatus est? Minus bene idem deinde: „Nunc demum iubet Catilinam ire in exsilium, quod nemini iniungi posse supra dixi." Nihil magis h. l. iubet, quam § 13; sed necessitatem ei ostendit, aut moriendum esse, aut, si ad hoc animus desit, ex urbe discedendum. Ex quo argumento quum apta sint fere quae deinceps iocatur, sublato fundamento pleraque everti necesse est. Reliqua aut non egent disputatione, aut suo loco exponentur.

refer, inquis, ad senatum; id enim postulas. „Ridicule de Catilina hoc affirmatur, qui nunquam hoc postularet, certe non apud eos senatores, quos persaepe ad caedem constituerat, quique, simul atque in senatum venerat, eam partem subselliorum, ubi ille assedit, nudam atque inanem reliquerunt." Sic R., cui obsecutus, ut videtur, Bootius *misere interpolatum* locum iudicans, eundem misere detruncat. Mihi nec ridiculus nec corruptus locus videtur, dum ne ridere, vel mutare malis, quam interpretari. Primum non in hoc ipso conventu quidem illud postulasse Catilinam vel inde conficere licet, quod si nunc senatores ipsum hoc dicentem audivissent, supervacaneum oratori esset ea repetere. Vix autem librarius, si in codice illa abessent, vel aliud quid legeretur, in animum induxisset, post *inquis* illud etiam addere, quod minus probabile posset videri. Sed Cicero quod eum postulare aliunde sciebat (fortasse quo tempore in custodiam se dare velle simulabat, haec etiam adiunxit) id nunc coram senatu repetere videtur, ut inde ad ea progrediatur, quae in animo habet dicere. Deinde quo consilio illud postulabat? Non enim is erat Catilina, qui vere reum se ipse faceret suamque causam modeste senatoribus cognoscendam praeberet, in quorum sententia acquiesceret. Eodem consilio, opinor, quo in custodiam se velle dare dixerat, nimirum ut Consuli, quem interficere toties frustra tentasset, hac ratione insidias strueret et quibuscunque posset modis eius consilia impediret. Postulabat

enim id, quod nulla lege concederetur. Si igitur referret Consul, iure reprehendendus videretur, quod novas leges introduceret, quam causam egregie iste cum suis arripuisset ad invidiam in Ciceronem concitandam. Sin, ut in custodiam se recipere recusaverat, sic etiam, quod postulabat, ad senatum referre nollet, hoc ansam praebere posset ad negligentiae eum vel calumniae in vulgus arguendum, quasi non rei publicae causa, sed odio tantum ductus sibi adversaretur, quum nec custodire se, neque causam cognoscere vellet, quamvis utriusque rei facultatem sponte ei obtulisset. Quae tela ita coniecta, ut vitari posse vix viderentur, vides quanta arte ab oratore repellantur et in adversarium quasi retorqueantur. Iam vero non (quod Bootio videtur) supervacanea esse verba *te ire in exsilium*, sed idcirco addi, ut *refer* et *referam* habeant quo referantur, quemvis videre arbitror.

Sed iterum in hac re *vehementer peccare* oratorem dicit R. pag 30. sq.: „nam postquam senatus noto decreto rempublicam Consulibus permisit, senatorum non erat de ea re quidquam decernere, et absurda est igitur etiam hoc nomine expostulatio Catilinae: *refer ad senatum.*" Absurda igitur etiam sunt quae Sallust. narrat c. 50., post deprehensos coniurationis socios: „Consul — convocato senatu refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant: sed eos paullo ante frequens senatus iudicaverat contra rempublicam fecisse." Absurde quidem tum D. Iunius Silanus „primus sententiam rogatus — de his qui in custodiis tenebantur — supplicium sumendum decreverat," et Ti. Nero „de ea re, praesidiis additis, referendum censuerat." Absurde deinde Caesar, Cato, alii coram senatu de eadem re verba fecerunt. Tum idem Sallust. c. 47. tradit, senatum decrevisse, ut Lentulus ceterique coniurati in liberis custodiis haberentur. cap. 48: „frequens senatus decernit: Tarquinii indicium falsum videri". Cff. etiam quae § 1. ad verba *patientia nostra* adnotavit B. Quid plura? Possumusne his testimoniis decernere, etiam Rinkesii *indicium falsum videri*, neque oratorem, sed ipsum *vehementer peccare?*

Non referam, id quod abhorret a meis moribus. „Nisi in ineptissimo scriptore explicando versarer, indicarem gravem Mor-

stadtii errorem, *legentis: non referam id, quod abhorret a meis moribus*" cet. R. — Etsi alteram lectionem defendi posse docuit B., mihi quoque distinguendum potius videtur post *referam*, non eo consilio tamen, ut *monstrum inde nasci* probem, quod R. facere conatur ita explicans: „indicat τὸ referre, id quod proprium est consulis, non solum sibi non placere, verum etiam sibi esse odiosum:" sed quod verbum *referam* nihil magis hoc pronomine indigere video, quam supra *refer*. Nam de quo referendum sit, cum e tota sententia apparet, tum vero maxime indicatur verbis *te ire in exsilium*. Nec seiungi velim *id quod*, quae (convenientia nostro *iets dat*) referunt plenam sententiam *de exsilio referre*, non, quod mire putat R., solam referendi actionem. Sed ex altera quoque lectione monstrum producit, ita interpretans: „*non referam id, quod cet.* i. e. non sum relaturus de exsilio in eum decernendo, qui omnes cives ad exitium *ac vastitatem* vocat, id enim mores mei *temperati moderatique* non sinunt." Effecit paene, ut vera habeam, quae initio dixit; unius enim literulae mutatione ipsius verba mea facio, existimans: eum *in scriptore explicando ineptissime versari*. Hoc autem dicit orator: Non referam — non faciam quod a me contra legem moremque postulas, id quod abhorret a meis moribus. cf. etiam B.

et tamen faciam, ut intelligas cet. „Mirifico artificio oratorio, nempe silentio patrum, postquam Catilinam ex urbe exire *iusserit*, declamator demonstrabit id, quod iam *facto re ipsa*, multo luculentius a senatoribus factum esse narratur § 16". R. — Non ipsum silentium patrum oratoris artificium esse, sed quod illud quasi provocaverit eoque mirifice utatur, recte demonstravit B. Postrema vero non attingit, notatu tamen dignissima: dicit enim R., iam tum quum intraret Catilina, senatores *facto re ipsa* multo luculentius ad haec Consulis verba silentio iudicasse, ex urbe egrediendum ei esse. Vides quorsum cavillandi studio seducatur, quo etiam magnum quod inter utrumque locum obtinet discrimen videre prohibitus est. Tum enim (de quo iam ad initium orationis diximus) sponte senatores contemtum suum odiumque hominis significarunt, intrantem nemo salutavit, et si-

mul atque adsedit, omnes qui proximi erant tanquam pestem eum vitantes istam partem subselliorum nudam atque inanem reliquerunt: quae omnia facta sunt ante quam Consul verba fecit, nec quidquam igitur ad hunc locum pertinent. Nunc vero quum a Consulis iudicio ad auctoritatem Senatus quasi provocasset Catilina, postquam Cicero eodem fere artificio, quo Demosthenes in Olynth. I: *τί οὖν, σὺ γράφεις ταῦτ' εἶναι στρατιωτικά; Μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε,* de exsilio quidem se referre negans, senatus tamen sententiam rogavit, omnes senatores silentio suo Consulis iudicium comprobant, et inviolata lege taciti patriae proditorem exsilii condemnant.

§ 21. *Vim et manus.* Haec vocabula recte coniungi contra Rinkesii dubitationem defendit B. Est autem hendiadys respondens graeco: *Βαρεῖαι χεῖρες.*

quum tacent, clamant. „insulsa et ridicula appositio, quam frustra defendunt, qui comparare iubent Cic. Divin. in Caec. 6, § 21: *cur nolint, etiamsi taceant, satis dicunt. Verum non tacent*" cet. R. — At dicit tamen Cicero, *eos tacendo dicere posse,* neque ita frustra illud comparare videtur Asconius; cf. quae § 18. diximus ad verba *tacita loquitur.* Sic pro Quinct. 15, 50: *tacite concedere,* ad Att. 4, 16: *tacitum iudicium,* alia. *Clamare* autem saepius *affirmandi* significationem habere videmus: cf. Cic. de Fin. I, 57. II, 65. pro Murena § 78. pro Quinct. 31. alii. Et legimus Catull. VI, 7: „Nequicquam *tacitum* cubile *clamat.*"

quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima. „Oppositionem adiectivorum *vilis* et *carus* noster debet Ciceroni pro Flacco 51, § 103." R. — Quasi non tirones etiam sciant haec adiectiva sibi opponi solere. Quod autem veretur, *ut adiectivum carus auctoritati conveniat,* hoc scrupulum ei eximere possum alio Cic. loco, de Orat. I, 19: „quorum gloria nobis et dignitas *cara* est," et sic saepe. Dicitur autem *carus* de eo, quod *magni* facimus, ut *vilis,* quod *parvi* ducitur. Fingit igitur Catilina se *tanti facere* senatus auctoritatem, ut quidquid decreverit se

obtemperaturum dicat: cum idem tam parvi ducat senatorum vitam, ut *notet et designet oculis ad caedem unumquemque eorum.*

sed etiam illi equites Romani — qui circumstant senatum cet. „Collocati illi erant a Cicerone in clivo Capitolino, quo loco audire et intelligere quid Cicero diceret in senatu non poterant" cet. R. — Haec recte quidem refutavit B.; sed Rinkesium rogare volo, etiamsi illo ipso die in clivo collocati fuissent equites, num prorsus necesse tamen esset, ut cunctus ordo illic collocaretur, nullique omnino essent relicti, qui ceteris civibus permixti senatum circumstare possent? Sed turpiter labitur R., dum *lapsum esse rhetorem vel ipso rhetore*, *teste locuplete, indicari* putat, dicens: „scribit enim: quorum voces paullo ante *exaudire* i. e. *ex longinquo audire* potuisti." Immo *exaudire* est *clare*, *distincte*, *perfecte* audire, quod innumerabilibus exemplis ex locupletissimo teste, Cicerone, indicari potest. Acad. IV, 7, 20: „quam multa, quae nos fugiunt in cantu, *exaudiunt* in eo genere exercitati." Orat. 56, 189: „sed non attendimus neque *exaudimus* nosmet ipsos." Or. in Catil. IV, 7, 14: „Sed ea, quae *exaudio*, P. C., dissimulare non possum". pro Sylla § 33: „Maxima voce, ut omnes *exaudire* possint, dico." ibid. 34: „ut idem omnes *exaudiant*, clarissima voce dicam." cet. (Ex quibus etiam illud apparere arbitror, quam aliena sit coniectura § 6: *speculabuntur atque exaudient*, vide supra.)

Denuo in his aliquid esse dicit R. quod animadvertendum videatur: „quando enim exauditae sunt voces illae equitum? Oratio habita est sine dubio *initio senatus*; igitur quum Cicero iam verba faciebat in Catilinam, ut Halmius scripsit?" cet., cuius deinde sententiam carpens ipse nullam prodit. Nodum, ut aiunt, in scirpo quaerit; nam non uno modo illud explicari posse video. Inter ipsam autem orationem illud factum esse, vix probabile est; dicente enim Cicerone intente operam eos dedisse puto, ut huius verba exaudirent, tacente, ut senatorum responsum quasi exspectaret, horum silentium vocibus suis turbasse nequaquam credo. Praeterea dehortari videntur verba *paullo ante*, quae non usurpari solent de eo, quod *modo* factum est. Sed verba non fecit Consul ante quam iste in senatum

venit atque inter senatores adsedit: quod ut vehementer hos movisse videmus § 16, sic illos etiam qui senatum circumstarent ad indignationem atque iram incitasse, non est quod dubitemus. Quamquam mihi animus inclinat ut credam, quemadmodum Caesari ex senatu egredienti equites nonnullos gladio minitatos esse legimus apud Sallust. B. C. 49, sic illos ingredientem Catilinam ac per medios euntem exsecrationibus minisque esse persecutos, ita ut intus videre atque audire possent Consul et senatores. Quod suadere etiam videntur illa verba: „quorum tu et frequentiam videre et studia perspicere — potuisti."

CAPUT IX.

§ 22. *tu ut ullum exsilium cogites.* „Hoc latinum non est, *nec dici potest;* exsilium enim ponitur, *licet* perperam, ubique a nostro *pro eo, quod poenae loco est;* at illud non cogitamus: quis v. c. unquam carcerem, quis vincula vel verbera cogitavit?" R. — Attende, quaeso, quam constanter ille iudicet, qui testem quamvis improbet, eiusdem tamen potissimum damnet testimonio! Etsi enim, quod falso opinatur, ubique ab oratore exsilium poenae loco haberi culpat, tamen eodem argumento utitur ad demonstrandum *exsilium cogitare* latinum non esse, quia nemo cogitet *carcerem vel verbera.* Sed perperam ipsum illud vitio dare oratori, neque aliud fere apud eum *exsilium* indicare, nisi *fugam* et *abitum e patria* optime docuit Bootius. Vix quidquam igitur differre vides haec verba ab iis quae proxime praecedunt: „tu ut ullam fugam meditere;" ut mirandum paene sit censorem non iudicasse potius alterutrum glossae deberi, quam alterum latinum non esse.

quanta tempestas invidiae. Non intelligit R. „unde illa invidia nunc tam subito pullulet rhetori nostro," et miratur, cur qui Catilinam, quem ex Scto interficere iure posset, impune abire patiatur, „is eam metuet invidiae tempestatem, *quae cum rei-*

publicae periculis coniuncta sit." Leniter ad istas argutias respondet B., et comiter ei viam monstrat, qui aut sponte sua eam deseruit aliosque imprudentes ab ea seducere conatur, aut ita coecus est, ut ne monstratam quidem viam possit persequi. Videre enim aut debuit aut potuit, non *nunc subito* oratori invidiam *pullulare*, quam *in posteritatem* sibi *impendere* dicat. Tum ut sciat, quamobrem invidiae mentionem h. l. faciat orator, meminerit (si forte haec leget) plus semel in superioribus nos memorare, quibusvis modis tentasse Catilinam in Consulem invidiam concitare, atque ideo quidem postulasse, ut de exsilio ad senatum referret: quod praesentiens ille quam artificiose a se iustam averterit accusationem ostendimus. Iam vero quasi praesagiens id, quod etiam accidisse postea legimus, vel sic tamen, si ex urbe profectus esset Catilina, fore, qui a Consule eiectum dicerent (cf. Or. Cat. II, 6, 12), quanta sibi, si non in castra ille, verum ut ei suadet, in exsilium iverit, tempestas invidiae impendeat intelligit: quam tamen, modo eat in exsilium, lubenter rei publicae causa se laturum esse dicit. Sed a tali ingenio moribusque vix exspectandum esse, ut pudore, vel metu aliquo, aut etiam rei publicae causa a pernicioso consilio desistat: quamobrem ne quidquam omisisse videatur, quod valeat ad eum permovendum, novum argumentum excogitat eique proponit, quantam invidiam Consuli, inimico suo, conflare possit, si in exsilium eat: quantopere contra, si in castra proficiscatur, eius laudi et gloriae sit serviturus. Quamquam frustra se haec omnia loqui ostendit, iamque omnia ad profectionem parata esse, § 24: ac dehinc, nulla amplius exsilii mentione facta, ut iam in castra belli contra patriam parandi causa profecturum alloquitur. Mirandum autem non est, qui oratoris consilium non perspexerint, multa iis in hac oratione difficilia vel etiam obscura videri: quibus cavendum tamen est, ne nimis cito iudicent, neu, ut Sallustius ait, *quae sibi quisque facilia* (intellectu) *putat, aequo animo accipiant: supra ea, veluti ficta pro falsis ducant.* Quod ubique fere Rinkesium facere videmus, qui sua vitia oratori imputans, quae non intelligit, statim improbare solet et iuveniliter ipsum saepe variis conviciis insectari: quemadmodum totum hunc locum denuo eum dam-

nare videmus pag 31: „In fine c. 9. ipse orator luculenter demonstrat verum esse quod in initio illius capitis posuit, omnia *nempe* quae dixisset nihil esse et facile omitti potuisse:" Qui vero recte iudicat et rem bene perspicit, in his ipsis miram oratoris artem agnoscit, qui et se magnis difficultatibus circumventum optima ratione expedivit, et vero rem publicam e gravissima et periculosissima coniuratione servavit. Quum enim audacem crudelemque hominem, quem interficere nondum tutum neque utile arbitraretur, quoquo modo ex urbe removendum esse videret, duo in hac re maxime sibi cavenda esse intellexit; cum, ne dici posset contra legem eum in exsilium misisse; tum vero (quod iam supra ostendimus p. 33) ne a se non tam emissus ex urbe, quam in urbem inmissus esse videretur. Utrumque autem ita cavit, ut et Catilina eius oratione ad desperationem redactus (vide p. 34) sponte sua profectus sit prius quam Consulis interficiendi consilium perfecisset, et vero nulli senatorum apertum non esset, iam dudum in castra proficiscendi consilium ipsum animo fovisse, et hoc tantum *paullulum morae ei fuisse, quod Consul viveret* § 9. Sed tandem veniamus ad posteriora illa Rinkesii verba: *is eam metuet invidiae tempestatem* cet., quae prorsus contraria sunt iis, quae dicit orator. Verba enim: *sed est tanti, dummodo* cet. non *metum* quidem indicant, sed *paratum* eum esse ad invidiam suscipiendam, modo sua calamitas a rei publicae periculis *seiungatur*, non, quod R. perverse dicit, *coniuncta sit*, qui iocose haec confundere videtur cum iis, quae leguntur § 4: „perniciem meam cum magna calamitate rei publicae esse coniunctam", non observans magnum quod inter utrumque locum obtinet discrimen. Sed quo melius hunc locum intelligere possit, similem describam ex Orat. Cat. II c. 7, § 15: „Est mihi tanti, Quirites, huius invidiae falsae atque iniquae tempestatem subire, dummodo a vobis huius horribilis belli ae nefarii periculum depellatur." Quae vero deinde dicit R. plane inconsiderate ei excidisse videntur: „At hac in re etiam titubavit declamator, quod ex Catilinae exsilio putet invidiae tempestatem esse ortam" cet., quibus quid faciam nescio. *Ortam esse* tempestatem, quam *in posteritatem sibi impendere* dicit! Tum *ortam ex eius exilio*, qui in

exsilium *nunquam ivit!* Vere titubat, qui talia excogitare potest; quare ut resipiscat, suadeo ut relegat Orat. II, c. 7.

§ 23. *Recta perge in exsilium.* „Recta pergimus si in locum definitum imus. At exsilium *esse* potest *in unamquamque* partem terrarum, ut supra insulse dictum est a nostro § 20: „quae quum ita sint, dubitas — *abire in aliquas terras.*" R. — Etsi fateor usum voluisse, ut adverb. *recta* definitis plerumque locis adiungeretur, nihil in ipso vocabulo esse video, quod impediat, quominus h. l. recte possit adhiberi. Exprimit enim graeca *εὐθύ, τὴν εὐθεῖαν*, quae quum saepe notent *continuo, statim,* cur non eadem etiam latino adverbio tribuatur significatio, quia *recta via* certe brevissima sit. Ut igitur apud Terent. Andr. III, 4, 21: „quid causae est quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?" notat *statim, sine mora.* (cf. Phorm. II, 1, 80, ubi ne locus quidem definitur) sic h. l. *recta pergere* accipio: confestim aliquo in exsilium ire, recta via in alium locum pergere, quam in castra, atque exsulem agere. Nam quia *exsilium* hic opponitur *castris Mallianis,* aliqua saltem ei tribui definitio videtur. Cur autem insulse dicatur *abire in aliquas terras,* non video: si numerus plural. Rinkesio obstat, reputato, hoc ipso numero saepe indefinita efferri solere, neque aliud fere his indicari quam: *abire aliquo,* ut § 17. *aliquo concederes.*

infer patriae bellum, exsulta impio latrocinio. „Bellum et latrocinium, quae h. l. coniunguntur, semper a Cicerone, immo etiam a rhetore nostro § 27. distinguuntur." R. — Ita tamen ut gradu tantum differant, et *latrocinium* iniustum bellum dicatur. Sic etiam § 33: „proficiscere ad impium bellum ac nefarium." cf. § 25. et Orat. Cat. II, 7, 15. Tum § 5. Catilina *hostilium castrorum imperator et dux hostium* vocatur: de eodem Orat. II, § 2 dicitur: „Sine dubio perdidimus hominem — quum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium coniecimus." Sic saepe confundi videmus *latrocinium* et *bellum,* modo sit iniustum ac nefarium.

a me non eiectus — sed invitatus. „Sic ut haec in textu

leguntur, *a me* referendum aeque est ad *invitatus*, quod ridiculam pareret sententiam." R. — Cur *a me invitatus* ridiculam parit sententiam, quum continuo sequatur: „quamquam quid ego te invitem"? sed ridiculum est iungere *eiectus ad alienos* et *invitatus ad tuos*, quod faciens ille suumque vitium in rhetorem conferens indignatus exclamat: „Cicero Catilinam ad neminem eiecit", et: „vehementer dubito possitne defendi *invitatus esse ad tuos.*" Festive etiam addit: „vocabula *ad alienos* hac de causa solum sunt adscripta a rhetore, ut oppositio esset efficacior." Non vidit igitur haec verba ad *exsilium* esse referenda, ut illa ad *castra?* Sed quo nomine tandem iste error appellandus est (quem humanissime reprehendit B.), quod reiecta vera lectione *isse* deteriorem recepit, ac deinde eam culpans in miserum rhetorem invehitur? Num hac in re sola ignorantia peccasse potest videri?

§ 24. *qui tibi praestolarentur.* „Dicendum *fuisset praestolentur*" R. — Cur igitur non, quod fecit B., paucorum codd. auctoritate illud in textum recepit potius, quam quod mutari potuit culpavit? Ego autem utramque lectionem defendi posse existimo. Si legis *praestolentur*, perfectum absolutum est *praemissos*, quod praesentis vim habet: quibus vero perfectum historicum videtur, his scribendum est *praestolarentur*, ut v. c. legati *missi sunt*, qui pacem *peterent*, non *petant*. Hanc lectionem Matthiae, Orellius, Madvigius, alii sequuntur.

Sacrarium scelerum tuorum. „Sacrarium est locus, in quo sacrae res reponuntur. — Sacrarium igitur potuit Catilina domi habere; sed *sacrarium scelerum* non potuit." R. — Quod igitur sacrarium illud dicendum erat: num *aquilae*, ut v. c. *Cereris* sacrarium? Igitur, ut hoc Cereris religioni dicatum est inque eo huius Deae sacra reponuntur; sic in illo sacrario *aquilae sacra* erant reposita? quae autem? Immo scelesto consilio dicatum erat illud sacrarium, et coniurationis instrumenta in eo reposita fuisse videntur, qualia legimus Orat. Cat. II, 6, 13, in quibus etiam aquila illa recensetur, quae quamvis superstitiose adoraretur, ita ut etiam sacra ei fierent, non tamen aquilae

potissimum dicatum sacrarium dici poterat, quapropter illud adiungit orator, unde quo consilio constitutum esset, posset intelligi. Nolim igitur paucissimorum codd. auctoritate id omittere, quod sententiae perspicuitas requirere videtur. Fortasse hoc sacrarium ante oculos habebat, quum diceret § 16: „quae quidem (sica) quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio:" Potuit etiam in eodem sacrario scelerum exsecratio illa ac devotio fieri (si modo facta est) quam dubitanter memorat Sallust. c. 22. Sed totum hunc de aquila locum praetermisissem, ait R. „quod per se ab unoquoque, ut opinor, damnatur, nisi etiam nonnulla inessent satis digna, quae animadverterentur." A nullo adhuc, quantum memini, hic locus damnatus erat, nec tali quidem auctoritate atque argumentis unquam damnatum iri credo. Nam nec per se quidquam in hac re absurdi esse, et vero cum Catilinae ingenio moribusque optime congruere videtur; saepe enim homines, qui nulla religione vel metu Deorum teneantur, humanarum divinarumque legum contemtores, variis interdum praestigiis et superstitionibus affectos esse videmus. Praeterea a coniurationis consilio haudquaquam illud abhorrere puto et simile quid de Alcibiade memoratum legimus, homine non prorsus, ut videtur, Catilinae dissimili, qui plus fatis fortasse, quam ingenio ab eo diversus fuit. De quo Nepos vitae eius c. 3. haec dicit: „Aspergebatur etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur, quod nefas erat more Atheniensium, idque non ad religionem, sed ad *coniurationem* pertinere existimabatur." Sed iam ad cetera veniamus, quae *animadversione satis digna* ille existimat.

proficiscens ad caedem. „ad quam nemo proficisci dici potest: nam proficiscimur *ad aliquem locum,* non *ad caedem.*" R. — Immo *in locum* proficiscimur et *ad aliquid.* Non quaeritur autem h. l. *quo* proficisceretur Catilina, sed *ad quid faciendum,* de quo bene disputavit B. Eiusdem generis sunt e. gr. *ad mortem* mitti, duci, proficisci, *ad colloquium* venire, alia. Deinde pergit: „Ex eodem genere est haec metaphora: „*a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti,* quae quid significare debeant, vel possint, non capio."

Nec mirum quidem, quoniam illa non intellexit, quorum haec sunt quasi amplificatio. Nam *dexteram transferre ad necem* eleganter dicitur pro *transire ad necem civium*, quemadmodum v. c. *manus operi admovere*, pro *opus aggredi*, similia. Verba autem *a cuius altaribus* cet. respondent praecedentibus, *quam venerari solebas*, atque indicant: saepe eum ab aquilae veneratione et a sacrificio continuo civibus manum intulisse.

CAPUT X.

Hoc caput, ait R. „non videtur a rhetore suo loco esse appositum." Ut igitur doceat, quo loco apponendum fuisset, ita pergit: „Si saltem iis, quae hoc capite leguntur locus concedendus est in oratione, qua quis hostem patriae *in exsilium mittit*, pertinet ad eam partem, *in qua* Catilinae *suasit ut urbem relinqueret*, quod nihil esset, quod eum in urbe posset delectare. In hoc autem capite dicit orator Catilinae profectionem non dolorem, sed voluptatem incredibilem allaturam recensetque causas ex quibus Catilina gaudium et laetitiam sit percepturus, *si* in castra Malliana *pervenit.*" R. — Totum locum describendum putavi, ne excerpendo non plane reddere viderer censoris sententiam, quam non satis intelligebam. Legenti autem in mentem mihi venit Terentiani illius in prologo Andriae:

„Faciuntne intellegendo, ut nihil intellegant?"

In oratione, ait, *qua* hostem patriae *in exsilium mittit* hoc, si usquam, pertinet ad eam partem, *in qua Catilinae suasit, ut urbem relinqueret, quod nihil esset* cet.! Primum videmus, quanto opere hoc ipsum cavere studeat Cicero, ne dici possit eum *in exsilium mittere.* Tum quomodo ad eam orationis partem, qua incipit ei suadere, ut proficiscatur, hoc caput pertineat, quo ut iam certo in castra profecturum eum alloquitur, eique exprobrat, quod patriae bellum sit illaturus, non capio. Ceterum pro, *si* in castra *pervenit*, legendum esse *ubi*, *quum pervenerit*, Rinkesii causa tantum moneo, cui bonae latinitati in primis operam dandam esse censeo. Deinde postremam capitis partem aggreditur: „Ultimae tamen sententiae *commodo* (l. quo-

modo) cohaereant non est perspicuum" cet. quasi priora optime perspexerit! Sed de his in fine capitis agemus, ubi ad istas sententias pervenerimus, prius videamus de iis, quae praecedunt.

§ 25. *quo te tua cupiditas rapiebat.* „Cupiditas solet dici de avaritia, libidine cet. i. e. de iis rebus, quibus certum obiectum est, ut v. c. etiam dicitur de studio partium — sic cupiditas et avaritia a Cicerone saepius coniunguntur v. c. in Orat. p. Sex. Roscio 35, § 101." R. — Cur id, de quo nemo facile dubitabit, etiam exemplo confirmandum putasset, primo non videbam; mox vero ipse aperuit, dicens: „quem locum idcirco laudo, ut turpe glossema indicem, quod *in vicinia* legitur in his verbis: *habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum, minorem annis sexaginta de ponte in Tiberim deiecerit*: ubi adiectis *in Tiberim* res, quae in comitio facta est, satis ridicule ad fluvium transfertur." En novo ex alia oratione desumto exemplo comprobatum vides, quam temere iudicare ille soleat, quamque parum det operam ut veterum scripta recte intelligat. *Res in comitio facta ad fluvium transfertur?* Ergo non vidit caedem ab oratore his verbis obiici T. Capitoni, qui aliquem de ponte Sublicio aliove in Tiberim deiecerit? quod tamen ex iis, quae proxime praecedunt, si saltem ea legit, intelligere debuit: „nullum modum esse hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit; multos ferro, multos veneno. Habeo etiam dicere cet." Plane igitur contraria ratione, quam dicit Rinkesius, *res, quae in fluvio facta est, per acerbam ironiam ad comitia transfertur.* Quodsi me rogas, num servanda idcirco putem verba *in Tiberim?* Mihi quoque e glossa in textum irrepsisse illa videntur, quia his omissis elegantior fiat allegoria, nec tamen prudenti sententia obscurior. Sed qui fieri potuerit, ut apposita etiam hac interpretatione a vera sententia quis aberraret, neque translationem agnosceret, miraculi instar mihi videri fateor. Post hanc digressionem ad propositam quaestionem redit. „Videamus nunc ad quam rem nostro loco trahenda sit illa cupiditas: *ibis tandem aliquando, quo te iam pridem ista tua cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat:* ubi sermonem esse de castris Mallianis in aprico est *unidiique* (l.

unicuique). At ea Catilina non cupiebat, sed *principatum*, ad quod vocab. tamen nullo modo cupiditas hic potest referri." At non tam *principatum* cupiebat, quam rem publicam opprimere, et propterea cupiditas eum in castra rapiebat. Quid enim? sperabatne etiam post repulsam Catilina sine armis se rerum potiturum esse, qui quum consulatus adhuc spem haberet, nil cogitavit nisi bellum et vim? Sallustium audiamus, quem aut non satis legisse Rinkesius, aut neglexisse videtur, qui de Catilina illa tradit; cap. 5: „Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxima invaserat rei publicae capiundae: neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat"; c. 16: „His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod aes alienum per omnes terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptabant, opprimundae rei publicae consilium cepit"; c. 21: „Postquam accepere ea homines (*orationem Catilinae* c. 20) postulavere plerique, uti proponeret, quae conditio belli foret, quae praemia armis peterent cet. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quae bellum atque lubido victorum fert." Interea comitiis habitis non ipse, ut speraverat, sed M. Tullius cum C. Antonio Consul declaratur, quod, ut narrat Sallust. c. 24: „primo populares coniurationis concusserat. Neque tamen Catilinae furor minuebatur sed in dies plura agitare, arma per Italiam, locis opportunis parare," cet: Idem c. 26: „His rebus comparatis Catilina nihilominus in proximum annum consulatum petebat" cet. Haec omnia igitur fecisse eum videmus ante quam consulatum petendi spem abiecisset: deinde in fine eiusdem capitis legimus: „Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio neque insidiae, quas Consuli in campo fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam quae occulte tentaverat, aspera foedaque evenerant." Recte igitur dicit orator § 12. nostrae orationis: „Nunc iam aperte rem publicam universam petis" cet.; recte § 5. Catilinam *imperatorem castrorum ducemque hostium* vocat. Ergo non *principatum* cupiebat, sed *bellum*, quod quomodo sine castris

gerendum esset, viderit R.. *Eo proficisci* igitur cupiebat Catilina (nam non recte dici *castra cupere*, ipsum Rinkesium videre existimo) eo cupiditas ista, quam iam prius verbis factisque (§ 9. et 24.) indicaverat, quamque effrenatam ac furiosam iure vocat orator, rapiebat.

Ad hanc te amentiam fortuna servavit. „*Ad amentiam natura te peperit* recte dicitur, sed *voluntas te exercuit* non item." R. — Haec bene vindicavit B., illa non satis refutasse videtur: „quod sequitur: *fortuna te servavit ad amentiam*, si fieri potest etiam peius est. Nam *priore loco* fortuna non *servavit*, sed *reservat* aliquem ad eventum quendam, vel ad tempus quoddam, ut est apud Cic. in Verr. V, 46, 121." quem locum a nostro quam maxime alienum esse videbis. Item ex alio, non minus alieno loco, demonstrat, recte dici posse *fortunam aliquem reservare ad supplicium;* sed dici non posse: „fortuna te reservavit ad vitium quoddam." At nihil eiusmodi dicit orator: neque aliud his omnibus R. demonstravit, nisi ignorare se hunc locum, nec satis intelligere, quae differentia sit inter *servare* et *reservare.* Verba autem *fortuna te servavit* respondent illis, *natura te peperit*, et significant, fortunam *eius vitae pepercisse*, eum non *morte ab ista amentia prohibuisse*, quemadmodum dicit § 4: „Vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam," quibus Cicero profecto non indicat, se Catilinam ad talem eventum reservare; sed sibi persuasum esse, eum vita sua ad hunc finem abusurum. Eodem modo h. l. *ad hanc amentiam* fortunam eum servasse dicit, ut impium ac nefarium bellum contra patriam gereret, quod festive noster *vitium quoddam* appellat.

non modo otium, sed ne bellum — *concupisti.* „Haec apponere non erat opus; nam otium nihil turpe habet, multoque minus nefarium est; male igitur h. l. Catilinae exprobratur, eum otium non concupisse." R. — Risum teneatis amici! Male Catilinae exprobratur, quod non concupiverit aliquid, quod nihil turpe habeat, sed potius id quod sit nefarium! Deceptum puto adolescentem structura non insueta tamen, *non modo — sed ne-quidem;* quod magis etiam hinc apparet quia attributum quod

tantummodo ad *bellum* pertinet, ad *otium* quoque transtulit. Sed ne intellexisse quidem eum videmus haec vocabula sibi invicem esse opposita, talia adnotantem: „Fortasse otium h. l. a rhetore positum est ea significatione ut *pacem* significare velit." Quam igitur significationem huic vocabulo tribuendam esse ipse putabat? Legat, suadeo, Bootii interpretationem, et comparet Sall. B. C. 17, 6, in primis vero quae dicit Cicero de leg. Agr. II, 37, 102: „Ex quo intelligi potest, nihil esse tam populare, quam id, quod ego vobis in hunc annum Consul popularis affero, pacem, tranquillitatem, otium", et quae sequuntur; nam totus locus dignus est, qui cum his conferatur.

Nactus es ex perditis — improborum manum. Discrimen inter *perditos* et *improbos*, quos confundere R. videtur, optime docet B., qui etiam tuetur *spe derelictis*, quod ille *ne latinum quidem* iudicat. Non inusitatum illud verbum est Ciceroni, et nonnunquam coniungitur cum *deserere*. cf. in Verr. III, 51, 120. pro Planc: 5, 13. Cur igitur non, ut dicitur *desertus spe*, eadem ratione dicatur *spe derelictus?* Minus fortiter B. defendit *nactus es*, tandemque quasi dans manus scribendum proponit: *Nunc tenes*, quod nec huic loco convenire existimo, neque ulla opus esse coniectura probabo. Quae autem obiicit R. haec sunt: „quomodo usus verbi *nancisci* hic defendi potest, quod ponitur de eo, in quod *casu vel fortuito* incidimus cuius hanc vim propriam esse dicit Donatus, ut dicatur de eo, qui paratus ad tenendum, antequam possit reperire quod teneat, statim quod occurrit, prehendit: quum constet Catilinam *multo labore, ingentibus sumtibus* amicitias sibi comparasse." Ut primum ad haec respondeamus, comparemus Sallust. c. 14: „In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod *factu facillimum* erat, omnium flagitiorum atque facinorum circa se, tanquam stipatorum, catervas habebat. Nam quicunque impudicus, adulter cet. — postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinae proximi familiaresque erant." Hos omnes igitur sine *multo labore* vel *ingentibus sumtibus* amicos sibi comparasse Catilinam videmus, quum vel ob morum similitudinem, vel iisdem necessitatibus circumventi spon-

te ad eum confluerent. Tum in iis quae continuo sequuntur: „quodsi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius *inciderat*, quotidiano usu" cet. eodem etiam verbo usum esse Sallustium videmus, quo R. in verbi *nancisci* definitione utitur ad demonstrandum alienum illud esse ab hac re. Nec omnes tamen casu vel gratuito in eius amicitiam incidisse, sed operam etiam sumtusque, si usu veniret, eum adhibuisse, ut quosdam sibi conciliaret, in eodem capite memoratur. Ergo non defendi modo h. l. potest usus verbi *nancisci;* sed optime rei convenire videmus. Ponitur enim non solum de eo, *in quod casu vel fortuito incidimus*, sed etiam de iis quae labore, vel alio modo consequimur: quemadmodum in ipsius, quem confert, Donati interpretatione duae partes *labori* tribuuntur, fortunae modo una: nam *paratum esse* oportet ad tenendum, ante quam reperias, et simulatque occurrit, *prehendendum est.* Sic Catilina etiam intentus semper erat ad eos, quos fortuna sibi quasi obiecisset, suis partibus adiungendos, deditque operam ut magis eos magisque sibi devinciret. Solet igitur hoc verbum de *fortuitis rebus* ita adhiberi, ut aliquis tamen *labor* his adiunctus sit: non raro etiam de iis usurpatur, in quibus parum aut nihil fortunae tribuendum videtur. Qui enim v. c. *praedam* nactus est, non sine labore vel etiam periculo eam acquisivit; *famam* autem, *nomen*, *provinciam*, alia, nemo facile casu tantum ac fortuna nanciscitur. cf. Sallust. B. C. c. 38: „Postquam tribunicia potestas restituta est, homines adolescentes summam *potestatem nacti* — coepere plebem exagitare," qui certo non *fortuito* in eam potestatem *inciderunt.* Cic. de N. D. III, 35, 48: „eam potestatem, quam ipse *per scelus erat nactus* — filio tradidit." quis unquam casu scelestus fuit? Tuscul. I, 30, 74: „Cato sic abiit e vita, ut *causam moriendi* nactum se esse gauderet." Uticensem dicit, qui ipse manus sibi intulit. ad Div. XI, ep. 12: „Non dubito autem, quin perspicias, si *aliquid firmitatis nactus* sit Antonius, tua in rem publicam merita ad nihilum esse ventura." Livius I, 50: „Artibus opes domi *nactus.*" alii.

§ 26. *neque audies virum bonum, neque videbis.* „Indicavi simile vitium dicendi in § 6, ubi aures dicuntur speculari et

custodire Catilinam." R. — Quid commune hic locus cum illo habeat, non intelligo, nisi quod utroque loco noster *titubat.* De illo autem vidimus: iam h. l. pergit: „Audire aliquem recte dicitur, si quis cantat vel verba facit, sed h. l. perperam ponitur." Merito indignatur B., qui tamen abstinere a cavillatione se decrevisse dicit. Num igitur Rinkesius usquam abstinet a cavillando Cicerone? Hic vero, ut Aesopus apud Phaedrum (Fab. III, 14) *derisor potius, quam deridendus,* saepe, si adesset, iure illi occurrere posset; *Heus sapiens, expedi quid* dixerim! Imprudens enim Atticus ille *quasi delirum* riserat, quem non intelligebat. Cur autem *audire* h. l. perperam ponitur? Utrum in Pythagoream quandam scholam Catilina profecturus erat (ubi tamen, ut tacentes discipuli aliquid discere possent, praeceptori certe loquendum fuit), an in castra improborum perditorumque hominum, quos procaces potius et vaniloquos fuisse, quam linguae favisse credas, quum de coniuratis in urbe illud dicat Cicero Orat. Cat. II, 5, 10: „qui mihi accubantes in conviviis — eructant sermonibus suis caedem bonorum atque urbis incendia." Nec varias quoque, fortasse non admodum modestas, *cantilenas* in istis castris defuisse, valde probabile est.

ad huius vitae studium cet. „Si quid video, haec referenda sunt ad ea, quae praecedunt, igitur ad: *hic tu qua laetitia perfruere?* cet. — quid hoc dici potest ineptius?" R. — Quid autem (ut eius verbis utar) ineptius dici potest, quam ad proxime praecedentia referenda esse, quae sana ratio doceat ad initium capitis pertinere, ubi agitur de eius in castra proficiscendi cupiditate, quo et haec et quaecunque hoc capite dicuntur referri videmus. *Huius vitae studium* igitur est tale vitae studium, quale in illis castris sequebantur, cuius aptae profecto meditationes dicendae sunt *humi iacere, vigilare* et quae deinde memorantur, *patientia famis, frigoris, inopiae rerum omnium.* Nam quod rogat R. „quo modo *humi iacere* inter labores illos Catilinae numerari potest?" nondum expertus esse videtur, quid sit *humi sub divo pernoctare.* In ipsa expositione autem, quam *neminem intelligere posse* credit, *saepius peccari* dicit *contra usum sermonis latini et contra sanam rationem:* cui sententiae

Bootium subscribere doleo, qui in uno tamen longe ab eo se dissentire dicit et verba *qui feruntur* optime vindicat ab odiosa Rinkesii suspicione. Sed immerito ab eodem haec vitio dantur oratori: „Si Cicero de vita Catilinae aliquid dicendum sibi putasset, et alio loco fecisset et plura gravioraque crimina in eum contulisset, et latine locutus fuisset." Nam et *alio loco plura et graviora crimina* in Catilinam contulit, vide c. VI, neque hic de industria in eius vitam invehitur; sed ut passim, ubicunque occasio se offert, eius ingenium moresque notare solet, sic h. l. de eius in castra proficiscendi consilio agens, et ipsa castra sociorumque manum in contemtum odiumque auditorum adducere studet, nec ipsum Catilinam denuo carpere omittit, flagitia eius et facinora iocose huius vitae generis meditationes appellans. Tum quod contra usum latini sermonis dicatur, deprehendere adhuc nihil potui. Iam de ceteris videamus, in quibus Bootium, qui praeterea suae sententiae rationem non reddit, cum Rinkesio consentiri suspicor.

ad obsidendum stuprum. „Quid est *stuprum obsidere*, quod verbum de ea re, quam capere, expugnare cupimus usurpatur, non de stupro? R. — At videmus tamen *speculandi* etiam et *observandi* significationem hoc verbum habere ut e. gr. Orat. pro Flacco, 24, 57: „quum *speculatur* atque *obsidet* Rostra vindex temeritatis et moderatrix officii, curia." Terent. Adelph. IV, 6, 6: domi certum *obsidere* est usque donec redierit." alii. Sic *stuprum obsidere* est stupri occasionem speculari, observare, exspectare, donec parata sit moecha; quod ipse orator explicare videtur illis verbis: *vigilare insidiantem somno maritorum.*

ad obsidendum stuprum — ad facinus obeundum. „Quid aliud apparet ex his verbis, quam hoc: *stuprum* rhetori nostro non videri *facinus?*" R. — Ergo illi *stuprum facinus* esse videtur? Quomodo igitur illos locos interpretatur, ubi *flagitium* opponitur *facinori*, ut supra § 13. et 18. Sallust. B. C. c. 14. et saepe? Sed ut plane eum convincam, quam perverse hoc *contra usum sermonis latini* dictum contendat, Cic. locum apponam, e Cat. Mai. c. 12, 40: „Nullum denique scelus, nul-

lum malum *facinus* esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; *stupra* vero et adulteria, et *omne tale flagitium*, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis."

ad facinus obeundum. „Quum *obire* soleat dici de iis, quae nobis imposita sint officia, quid erit *facinus obire.*" R. — Falsissimam esse hanc definitionem, vel ex uno Ciceronis loco satis demonstratur, pro Mil. 10 § 27: „Atque ita profectus est, ut concionem turbulentam — relinqueret: quam, nisi *obire facinoris* locum tempusque voluisset, nunquam reliquisset." A quo igitur Clodio officium impositum erat Milonis occidendi? Sed tam saepe *obire* de iis dicitur, quae quis sponte sua suscipit perficitque, cuius generis sunt v. c. *terras, urbes, hereditatem, coenam, negotium,* alia *obire*, ut satis mirari non possim, qui affirmare audeat censor, in his contra usum latini sermonis et contra sanam rationem peccare oratorem. Cf. etiam p. lege Man. 17, 53: „Quum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem transmarinam, neque publicam iam *obire* possemus." ad Att. VIII, 12, 3: „Id enim (*mare transire*) etsi erat deliberationis, tamen *obire* non potui."

insidiantem somno maritorum. „Possumusne *insidiari somno* alicuius, quum certum et notum sit, non insidiari nisi iis, quae capere possumus et cupimus." R. — Si quaecunque noster certa et nota dicit, vera etiam essent, brevi haud multum credo latinitatis superesset. Videamus autem quid Cicero dicat Orat. c. 62, § 210: „Id autem tum valet, quum is, qui audit, ab oratore iam obsessus est, ac tenetur. Non enim id agit, ut *insidietur et observet:* sed iam favet, processumque vult, dicendique vim admirans non inquirit, quod reprehendat." Quid igitur in his est, quod *capere quis possit cupiatque?* Cf. Livius XXIII, 35: „Nocturnum erat sacrum, ita ut ante mediam noctem compleretur. Huic Gracchus *insidiandum tempori* ratus, custodibus ad portam positis", cet. Vell. Paterc. II, 21: „ita se dubium mediumque partibus praestitit, ut omnia ex proprio usu ageret, *temporibusque insidiari* videretur". cet. Ex quibus locis satis apparere arbitror, *insidiantem somno* nec cum latinitate

pugnare, neque cum sana ratione, sed hoc indicare: speculantem, observantem somnum maritorum, tempus exspectantem, donec mariti somno sopiti essent. Denique etiam hoc dicit R.: „quid sibi vult illa antithesis: *insidiari non solum somno maritorum, verum etiam bonis otiosorum.*"? Omnino videmus similem esse hanc antithesin praeecedenti: *non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum,* quibus haec respondent. Sed quod facinus indicetur verbis *bonis otiosorum,* vel quod optimae editiones habent, *occisorum,* ne post Schuetzii quidem interpretationem: „Refertur ad caedes tempore proscriptionis Sullanae a Catilina factas," plane me intelligere fateor. Neque ob hanc ignorantiam tamen audeam locum spurium iudicare, cuius reliquae partes bene cedunt, quum praesertim in hoc ipso aliquid latere possit nobis incognitum, quod auditores tamen optime intelligerent.

patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium. Hoc erat ex iis, quae *quomodo cohaereant non perspicuum esse* dixit R. ad initium huius capitis: „Scribit enim Catilinam brevi confectum fore patientia frigoris, famis, inopiae rerum omnium." Perinde est ac si quis ultro clausis oculis queratur, se nihil videre. Eodem modo ubi v. c. legeretur: *poena scelerum, quae quis commisit,* calumniari posses, hoc nihil esse; scribi enim: *poenam scelerum* aliquem commisisse. Nam sola imprudentia ab eo peccatum esse, vix mihi persuadeo, quum et per se liquida res videatur, et Manutius in commentario suo diserte pron. *quibus* referat ad *famem, frigus, inopiam rerum omnium:* ne dicam, quod Rinkesium fugere quidem non potuit, si ad *patientiam* pronomen referretur, non *quibus,* sed *qua* dicendum fuisse. Ab altera parte Bootium peccare video, qui tantum abest, ut cum Rinkesio ad totam sententiam pronomen referri putet, ut ad postrema tantum verba, *rerum omnium* dicat pertinere, ita interpretans: „Ut aliquis *aetate, morbo, vulneribus confectus* dicitur, sic *rebus suis confectus* is est, qui totam rem familiarem perdidit." Vides quantam vim verbis faciat; nam ut sibi constaret, dicendum erat *rebus omnibus confectus,* quod nihil significare sentiens sibi ipse contrarius pronomen ad solum vocabulum

rerum refert, quum tamen verba *inopiae rerum omnium* adeo coniuncta sint, ut unam notionem efficiant, nec ullo modo distrahi possint. In errorem autem inductus esse mihi videtur illis, quae leguntur § 14: „Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties"; sed illas sentiret, si in urbe maneret, et inter causas, quas colligit orator, ut ex urbe discedere ei suadeat, et hanc eum memorare videmus. Quomodo autem explicetur, eum in castris sensurum esse *brevi tempore* se totam rem familiarem perdidisse, non intelligo. Verissime igitur Manutius *quibus* refert ad *famem*, *frigus*, *inopiam*, nec languent quidem ex eius interpretatione postrema verba, sed *maior* etiam in iis inesse *acerbitas* videtur. Nam praeclaram illam patientiam, quam sui in eo praedicare solebant, cuius etiam cum irrisione Cicero meminit Or. Cat. II, 5, 9: „Atque idem stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus, frigore et fame et siti ac vigiliis perferendis fortis ab istis praedicabatur, quum industriae subsidia, atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumeret", parum ei profuturam esse quum in castra venerit, et brevi tempore stupris libidinibusque debilitatum corpus laboribus atque inopia rerum omnium confectum iri auguratur. Simili ratione etiam sociis Catilinae, qui in castra erant profecturi, irridere eum videmus ibid. § 23: „Quid sibi isti miseri volunt? Num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? — quo autem pacto illi Apenninum atque illas pruinas ac nives perferent? nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis saltare didicerunt?".

§ 27. *quum te a consulatu reppuli.* „Est populi, non Ciceronis, unde etiam is, qui a populo non creatur, dicitur *repulsam ferre*." R. — Huius argumenti vim non capio. Quid enim? Quum Xerxes Pausaniae Graeciam sub eius potestatem se redacturum esse pollicenti, si filiam sibi nuptum daret, rescriberet: „si perfecerit, nullius rei a se repulsam laturum." (Nep. v. Paus. 2, 5.) tum spopondit, *a populo eum creatum iri?* Sed ipsi Rinkesio notum esse arbitror, non in foro tantum, sed in vita communi hanc locutionem ita usitatam fuisse Romanis, ut h. l. omni vi argumentationis prorsus careat. Reliqua verba:

Est populi, non Ciceronis, etsi a Bootio satis infirmata video, Manutii addere volo interpretationem, qui dupliciter rem explicat: „Cum ego, te repulso, consul designatus sum: aut: cum, te consulatum petente, ego consul effeci, ut repulsam ferres, qui tuos nefarios sensus improbamque mentem iam antea cognitam penitus haberem."

ut exsul potius temptare, quam consul vexare rempublicam posses. „Hoc, etiamsi dici posset Cicero reppulisse Catilinam a consulatu, tamen defendi non posset. Nam ex eo, quod Catilina non est factus, per se nondum sequitur eum exsulem futurum, qui rempublicam *est* tentaturus; multo minus inde effectum est, ut Catilinae conamina contra rempublicam potius *latrocinium quam bellum nominarentur.*" R. — Nollem illud verissime observatum dixisset B., qui ut omnem difficultatem amoveat, et *exsulem* et *consulem* exsulare iubet, quibus bonam oppositionem verborum *temptare* et *vexare* corruptam esse censet. Mihi contra illis vocabulis magnopere firmari atque augeri videtur oppositio, nec sine magno quidem totius sententiae detrimento ea omitti posse iudico. Quod autem dicit R. inde *quod consul non sit factus, nondum sequi, eum exsulem futurum,* aeque verum esse puto, ac nihil tale oratorem dicere. Non attendisse autem videtur ad vocabula *potius* et *posses,* quibus mirum quantum oratoris sententia illustratur. Neque enim hoc vult: Tantum profeci — ut iam exsul temptare debeas, quum consul vexare rem publicam non possis; sed longe diversa ratione illud eum dicere videmus: hoc certe tum, quum mea maxime opera repulsam tulisti, consecutus sum, ut consul certe vexare rem publicam non posses, sed si quid hostile contra eam suscipere velles, exsul potius eam temptare deberes. Non eo consilio quidem se eum reppulisse dicit, ut exsul rem publicam temptaret, verum hac re impedivisse saltem, ne in magistratu iusto quodam modo nomine eandem vexare posset, ita ut, si quid moliri vellet, iam nihil reliquum esset, nisi ut hostili modo extrinsecus eam temptaret. Simili ratione per imperfectum coniunctivi, praecedente perfecto indicativi, non tam *consilium,* quam *eventum* rei indicatum videmus Or. Cat. II, 2

4: „Quum viderem — si illum, ut erat meritus, morte multassem, fore ut eius socios invidia oppressus persequi non possem, rem huc *deduxi*, ut tum palam pugnare *possetis*, quum hostem aperte *videretis*" i. e. eo rem deduxi, ut eum emitterem, quo facto, quum hostem aperte videretis, palam pugnare possetis. Cf. etiam Orat. III, § 4. Sed subridicula sunt, quae postremo loco dicit R.: *multo minus inde effici, ut Catilinae conamina potius latrocinium quam bellum nominarentur*, quasi novum afferat argumentum. Haec enim prorsus ab antecedentibus pendent; utque imperio praeditus, quamvis rem publicam vexans, bellum tamen gerere dici potest, quod Sullae, Caesaris, aliorum exemplis comprobatur: sic id quod a privato, qui temptat rem publicam, scelerate suscipitur optimo iure *latrocinium* dici, quis negaverit? quod recte etiam docet B.

CAPUT XI.

In huius et sequentis capitis expositione eximie denuo probat Rinkesius, se consilium huius orationis oratorisque sententiam non cepisse modo, sed ne operam quidem dedisse, ut cognosceret. Ita autem incipit: „Antequam ad epilogum transit personatus Cicero, interponitur allocutio patriae, vel cunctae Italiae, vel reipublicae, aut omnium simul." Attende, quam temere et negligenter haec dicat, si bona modo fide egisse habendus est, quum gradationem illam: *si patria, si cuncta Italia, si omnis res publica* (cf. § 12) plane turbaret coniunctione *si* ad lubitum in *vel* et *aut* mutanda, *rem publicam* adiuncto suo spoliando, atque ex decerpto membro *omnis* suo arbitrio ridendi causa quartum adiiciendo, *aut omnium simul.* Hoc vere est Horatianum illud: *fingere qui non visa potest:* ita qui agit vix postulare potest, ut sibi ignoscatur, quasi imprudens peccaverit. Moderate tamen istis respondet B., quem haec et sequentia minus movisse videntur. Pergit enim R. in hunc modum: „Haberem quod opponerem ei, qui contenderet Patriam loquentem esse inductam, tum quod c. 12 initio orator

respondet *reipublicae* vocibus." — Utrum sepulcra legit R., quum statim obliviscatur eorum, quae modo dicta sunt: an gradationem illam, cuius, ut vidimus, summum fuit *omnis res publica*, idcirco turbavit, ut lectores in oblivionem horum verborum adduceret, quo melius verba dare iis posset? Ita saltem nunc argumentatur, quasi nulla omnino ante *rei publicae* mentio facta sit, ac longe alia haec, quam patria sit habenda. Sed quid porro narret ille audiamus: „tum quod, quae in Catilinam indulgentior et remissior, quam par est, fuisse videatur, in Ciceronem satis vehementer invehitur. Exprobrat ei quod nondum interfici Catilinam iusserit" cet. Scilicet Catilinam *hostem* vocat, *auctorem sceleris*, *principem coniurationis*, *evocatorem servorum et civium perditorum;* dignum eum iudicat, qui *in vincula ducatur*, *ad mortem rapiatur*, *summo supplicio mactetur!* Nae a tali indulgentia ac remissione liberum me semper fore quam maxime spero. Ciceroni contra obiicitur tantum, quod in hostem patriae non satis severe agat. Verum in sequentibus aspice quantopere R. dormitet: „Patria, quae suasit Catilinae, ut discederet ex urbe c. VII, sibi parum constat, ita ut oratori, qui nunc videtur revera Catilinam *ex urbe expulisse* vitio vertat, quod hostem, principem coniurationis non interfecerit. Quid quaeso absurdius esse potest, quam reprehendere eum, qui quod ipse suaseris, fecerit? Quid ineptius" cet. — Quid vero absurdius atque ineptius esse potest, quam *Patriam* i. e. *Urbem*, quae c. VII loquens inducitur, confundere cum *Republica*, communi omnium Romanorum patria, quae hoc capite quasi Ciceronem alloquitur: quarum quam maxime diversam rationem esse, qui mediocriter cognovit orationem facile intelligit. Utramque personam egregie adhibet orator, ut ea dicat, quae suo loco dicenda esse sentiat; quemadmodum Horatius monet in epistola ad Pisones, 42 sq.:

„Ordinis haec virtus erit, et Venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici."

Hunc ordinem sive non vidit R. (quis autem eum coëgit incognita iudicare?) seu noluit videre (num idcirco neque alios visuros esse sperabat?), alterius allocutionis sententias ad alteram transferendo ita rem confudit atque hunc locum turbavit, ut

imprudentibus re vera absurda atque inepta videri debeant, quae orator dicit. Sed quum id ageret Cicero, ut quibusvis modis Catilinam permovere velle videretur, ut urbem relinqueret, *Patriam* i. e. Urbem, loquentem fecit, quae iure quodam postulare posset, ut periculosus civis, qui impune caedes perpetraret, leges violaret, exitium urbi pararet, quum certa de causa interfici nondum deberet, ex urbe egrederetur ac cives metu liberaret. Nunc quum satis constare videtur, eum in castra profecturum, ac patriae bellum illaturum esse, illud cavere studet, ne huius rei culpa in se conferatur, et *Rempublicam* ea omnia sibi obiicientem facit, quae a quocunque vel dici, vel cogitari posse intelligat, ut deinde his respondendo, atque aliter facere se nec potuisse nec debuisse ostendendo, hanc a se invidiam amoveat. Quam *Patriae* i. e. Reipublicae *querimoniam prope iustam* dici, ineptum Rinkesio videtur: quamquam idem § 5 ad verba: *intra moenia* (ubi vide) rhetorem lapsum esse ita demonstrat: „nam reipublicae perniciem Catilina etiam moliri poterat extra urbem", et § 12. *residebit in republica* cet.: „Voluit *in urbe;* nam qui in castra Malliana proficiscebantur in republica quoque erant." Ob hanc ipsam causam igitur Respublica iure prope queri videtur, suis quodammodo impensis urbem hoc monstro liberatum iri. Quibus querelis quomodo ab oratore occurratur, neque audiendum esse Rinkesium dicentem: „Videamus vero, quid a consule reponatur, ut appareat eum non id egisse, ut patriam dicendo superare voluisse videatur; ipse enim si fieri potest magis etiam titubat," post videbimus, ubi ad cap. XII erimus progressi.

Sed in iis, quae in hac expositione semper tali modo iocando et garriendo oratori vitio dare pergit, quaedam tamen esse videntur quae h. l. sunt refutanda, quia ad ipsum c. XII ea non attingit. Dicit enim: „quomodo conciliari possit prior pars huius capitis 12 cum superioribus, alii videant." Quam autem differentiam se detexisse putat inter ea quae leguntur § 30: *multi — crudeliter et regie factum esse dicerent*, et § 5: *quam quisquam crudelius factum esse dicat*, iam ad hunc locum a B. refutatam esse ostendi. Sed illud etiam indicat: „confessus est orator § 12: *se nondum audere interficere Catilinam:* al-

tero loco (§ 29) legitur: *ego si hoc optimum factu iudicarem — unius usuram horae — non dedissem.*" Qualem igitur vim ille tribuit verbo *audere*, quod non conciliari possit cum hoc loco? Memini autem iam initio adnotationis, in expositione cap. I eum huic verbo irridere dicentem: „senatus et consules accusantur, quod nihil contra Catilinam facere *audeant*," existimantem, ni fallor, *timorem* eo indicari. At scire eum oportuit *non audere* saepe notare *vereri*, *vix posse* aut *velle*. Cf. Cic. pro lege Man. 9, 25: „Itaque victus tantum efficere potuit, quantum incolumis nunquam *est ausus* optare". idem de Clar. Orat. 5, 18: „Non Mehercule, inquit, tibi repromittere istuc quidem *ausim.*" Sic *non audeo* dicere, negare, confiteri, alia. Ergo *quoniam nondum audeo* cet. § 12. ita interpretandum est: quoniam adhuc vereor te interficere, ne reliqua coniuratorum manus in re publica resideat, id faciam quod ad communem salutem utilius est. Facturum igitur se dicit, quod *optimum factu iudicat.* Iam ipse R. iudicet an eo modo conciliari haec possint cum iis, quae dicuntur § 29. cf. Orat. Cat. II, 2, 3.

Videamus etiam, qua fide oratoris verba reddat, ut ea quae vincere studet, imprudentibus probabilia faciat. „Absurda porro haec defensio est: Non interfeci Catilinam, quoniam sunt, qui non credant coniurationem esse factam. At *si* hic profectus erit ad Mallium, *si cum exercitu suo Italiam vastat, atque diripit, si huic urbi minatur*, nemo erit tam improbus, qui non fateatur re vera coniurationem esse factam." Cicero § 30. haec dicit: „Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Malliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur," in quibus nihil absurdi esse, mihi concedes. Sed ista ornamenta, quibus absurda haec reddere conatur, aut ipse de ingenio suo finxit, aut ex Reipublicae allocutione in fine cap. XI. inepte huc transtulit. Quae praeterea huius generis iactat operae pretium non est memorare; legat ista cui lubet. Post quae tamen, quasi victoria reportata triumphans exclamat: „At vel sic tamen dicis Ciceronem luculentam hanc orationem conscripsisse?"

§ 28. *Mosne maiorum.* „Dicendum *fuisset exempla maiorum.*" R. — Ergo: Quid tandem te impedit? Exempla maiorum. At exemplis *excitari* solemus, vel *absterreri*, non *impediri?* sed *lex*, vel *mos* homines *impedit.* Recte autem dicit Bootius: „Nonne id quod multis exemplis ex historia Romana saepe factum esse demonstrari poterat, *morem maiorum* constituit?" Quod secus tamen Rinkesio videtur dicenti: „Hoc tamen non constituit *morem maiorum;* praesertim quum *privati* id fecisse dicantur; sed multo etiam minus, quod illud *persaepe* absurdo augendi studio positum *sit.*" O praeclaram argumentationem! Quod orator etiam privatorum meminerit (Cf. § 3.); sed in primis quod absurde *persaepe* ponat, exempla illa non constituere *morem maiorum!* Sed nullum augendi studium h. l. esse, et recte privatos etiam memorari ostendit Bootius. conf. etiam § 3: „Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes" cet.

An invidiam posteritatis times? „*Invidia posteritatis* est eorum, qui post nos erunt. — Si tamen *quod* voluerit rhetor quaeritur, non dubito quin *invidiam posteritatis* usurpaverit de tempore mox futuro, vivente Cicerone, quo *sensu* etiam ab eo usurpata videntur ea verba, quae supra laudavi." R. — Dixit autem supra: „Dubius haesi, quo *sensu* acciperem haec vocabula ex § 22: *quanta tempestas invidiae nobis in posteritatem impendeat:* quae fortasse duplicem interpretationem admittunt." — Hoc vellem explicuisset: nam quomodo tempestas invidiae alicui *impendere possit apud eos, qui post eum erunt,* non intelligo. Sed utroque loco Cicero eam invidiam dicit, quam *in posterum* sibi imminere praesentit, quod postremis etiam huius capitis verbis: *quum bello vastabitur Italia — tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum?* extra omne dubium ponitur. Bootius uncis incluso vocabulo *posteritatis,* talem huius rei rationem reddit: „Ridiculam quaestionem corrigamus deleto voc. *posteritatis,* quod sciolus e § 22, ubi e scribendi vitio natum erat, huc intulit": quo loco pro *in posteritatem* scribendum suspicatur *in posterum tamen,* vehementer dubitans, an *posteritas* opponi possit *praesenti tempori.* Miror eum non memi-

nisse *posteritatem* etiam dici de *sequenti vitae tempore*, et *in posteritatem* interdum idem notare, quod *in posterum*. Cf. Cic. in Verr. III, 55, 127: „quum vero perditis profligatisque sociis, vectigalia P. R. sint deminuta; res frumentaria, commeatus, copiae, salus urbis atque exercituum nostrorum *in posteritatem* istius avaritia interierit: saltem commoda P. R. respicite" cet. Epist. ad Div. II, 18, § 8: „Sed si me audies, vitabis inimicitias, et *posteritatis* otio consules." Caes. B. C. I, 13: „Habeat rationem *posteritatis* et periculi sui." alii.

tam mature. „Non mature pervenit Cicero ad eos honores, quos omnes anno suo adeptus est." R. — Immo *mature* pervenit, quia *iusto tempore*, i. e. anno suo, adeptus est; quod gloriantem quodammodo *tam mature* dicere Ciceronem recte ostendit B. Adverbium *mature*, etsi non raro per abusum ponitur pro *cito*, *celeriter*, *festinanter* (nunquam tamen *ante suum tempus*), proprie eandem significationem servat, quam adject. *maturus*, et subst. *maturitas* habere solent, atque ita notat *tempestive*, *apto*, *iusto*, *suo tempore*, quod Rinkesium ignorare eo magis miror, quia non e sola vocabuli notione illud apparet, sed etiam veterum locis satis confirmatur. Cf. e. gr. Cic. in Verr. IV, 44, 96: „Illi noctu, facta manu armataque veniunt: fores aedis effringunt; aeditui custodesque *mature* (*tijdig*, *bij tijds*) sentiunt: signum, quod erat notum vicinitati buccina datur" cet. Caes. B. C. c. 7: „neque Bibulus impeditis navibus dispersisque remigibus satis *mature* occurrit." Terent. Eunuch. II, 1, 2: „Ph. faciam. Pa. at diligenter. Ph. fiet. Pa. at *mature*. Ph. fiet." alii.

§ 29. *quum tecta ardebunt — te invidiae incendio conflagraturum*. „Belle declamator coniungit *ardere* et *conflagrare* in hac sententia, alterum proprie, alterum translate usurpans, qua si multos audias, nihil elegantius, ut mihi tamen videtur, nihil magis languidum esse potest." R. — Neminem adhuc audivi, qui hanc sententiam *praeter omnes alias elegantem* sibi videri diceret; nemo autem, quantum scio, praeter Rinkesium, *nihil magis languidum* esse iudicavit. Qui quum causam, cur

ita iudicet, nullam addat, ut est in Martial. Epigram. I, 32.

„Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare;
Hoc tantum possum dicere, non amo te."

non habens quid respondeam, cum Horatio dico, Serm. I, 9, 71: „At mi placet: sum paullo infirmior, unus multorum." Nisi forte quis existimat ex iis, quae deinde dicit, huius rei causam confici posse, de quibus iam videamus.

invidiae incendio. „Male luditur significatione voc. *invidiae;* scripsit enim § 28: *an times invidiam posteritatis* i. e. invidia, quae ex recte factis nascitur; et paullo post: *sed si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia — pertimescenda.* Nunc vero invidia est illud odium quod oritur ex male factis, cuius incendio quomodo quis conflagrabit, quum haec dici non possint?" R. — Non orator, verum ipse male ludit significatione vocabuli *invidiae*, quam pro lubitu ita explicat, ut causae opportunum esse ei videtur. *Invidiam posteritatis* dicit invidiam esse, *quae ex recte factis nascitur.* Quid tandem his vult? An isti etiam *recte fecisse* eum erant iudicaturi, qui, si in Catilinam animadvertisset, *crudeliter et regie factum esse dicerent?* Talem tamen invidiam orator illic indicat, non quemadmodum explicat R., qui hoc confirmari putat iis quae dicuntur initio § 29, quae verba laudans, nescio qua causa, omittit verba *quam inertiae ac nequitiae*, atque ita oppositionem obscurat, ex qua sequens sententia apta est. Duplicem enim oratori invidiam proponit Respublica: *malorum*, si severe et fortiter agat: *bonorum*, si propter metum inertiae ac nequitiae se tradat, atque optionem quasi ei relinquit, utram eligere velit. Est igitur etiam illo loco invidia *vituperium*, *reprehensio*, sed duplici ratione, sive *severitatis* ac *fortitudinis*, sive *inertiae* ac *nequitiae*, quarum illa laudi, haec dedecori sit habenda; minime quidem ea, quae *ex recte factis* nascatur, quam *aemulationem*, vel *obtrectationem* vocat Cicero Tusc. IV, 26, 56. Iam vero invidiam h. l. appellat *odium, quod oritur ex male factis*, quasi diversa sit ab ea, quae iam supra memorata est. Postrema enim haec sententia tota refertur ad verba *inertiae ac nequitiae invidia*, quam, nisi severe et fortiter agat, certo eum

non effugiturum esse, rogando Respublica affirmare studet. Quod autem dicit, *quod oritur ex male factis*, ignoscendum ei esse videtur, quia perperam verbis *inertiae ac nequitiae* turpitudinis notionem tribuit, ut recte observavit B. Idem demonstravit recte dici *invidiae incendio conflagrare:* quo magis miror nihilominus eum suspicari: „*invidiae* esse falsum interpretamentum verae vocis *illo.*" Sic enim perit omnis figura, et Cicero in eo bello periturus et una cum tectis conflagraturus esse dicitur. Nam quod credit, sic hanc nos habituros esse sententiam: „*Nonne* existimas *illo communi* incendio *tuam quoque famam* consumptum iri?" tali modo veterum scripta interpretari me non audere fateor.

CAPUT XII.

mentibus pauca respondebo. „Novi quid a rhetore invenitur; nam solemus solum iis respondere, qui locuti sunt, non aliorum mentibus." R. — Si cogitare recte dicitur *secum loqui*, possumus aeque *mentium cogitationibus*, si modo cognitae nobis sint, respondere, ac *vocibus loquentium*, quod etiam Bootium verissime observare video. Orator autem *eorum hominum mentibus* se responsurum dicit, quorum *sententia* conveniat cum *vocibus Reipublicae*, quas alta voce recitaverat, quaeque ideo et ipsi et auditoribus cognitae erant. Vel potius ita: tacitis cogitationibus, quas in hominum quorundam mentibus inesse intellexit, fortasse etiam nonnullorum sermonibus, qui ei ad aures venerant, quos iam sub persona Reipublicae ad se purgandum in medium protulit, respondebit.

ad vivendum. „Haec vocc. abundant." R. — Cuius sententiae accedens B. haec vocabula uncis includit, *ut orationem inutili additamento liberet*, auctoritate permotus, ut videtur, Donati, qui ad Ter. Andr. V, 9, 24, hunc locum laudans omisit *ad vivendum.* At non sine causa quidem ille omisit; nam postquam verba *unde utatur* perperam interpretatus est: „*vivat:* unde

usura vita dicitur: ut, *unius usuram horae gladiatori isti non dedissem,*" vix sibi ipsi obloquens *ad vivendum* addere potuit. Qui tamen se errasse ipse confiteri videtur, quum mox adiungat: „An, *unde alatur*, de quo usum fructum capiat, et cuius tibi sortem reddat? Et hoc melius: nam ideo addidit: *Reddit tibi cito.*" Profecto hoc melius est; nam vita non *usura*, sed *caput* est, cuius usus fructus nobis est concessus. Nec maius suae sententiae praesidium, opinor, hiuc petit B.: „Ut h. l. *unius usuram horae*, sic alibi Cicero dixit *lucis usuram*", quod deinde exemplis probat. *Lux* enim *vitam* notat, non *temporis particulam*, neque ita haec locutio convenit cum illis verbis, nisi addas *ad vivendum*, ut Ciceronem alicubi dicere memini: „quod cuique temporis *ad vivendum* datum est, eo debet esse contentus." Nam ad alium etiam usum, quam ad vivendum, tempus horasque alicui concedere possumus.

non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt. „Iam id aliquanto nimium est, dicere: *se honestare* alicuius sanguine." R. — Hoc non nimis urgendum esse, qui libero animo legit, facile intelligit. Proprie enim dicitur, *sanguine se contaminare*, cui ita opponitur *se honestare*, ut sententiae potius, quae est in praecedentibus, quam ipsis quidem verbis respondeat, hoc modo: si Saturnini et ceterorum caede famam suam non modo non contaminarunt, sed etiam honestarunt. Praeterea *oratorem sibi non constare*, dicit, *eumque fugisse quae supra dixisset*, de Ti. Graccho § 3: *eum mediocriter labefactasse reipubl. statum;* de Caio § 4: *propter quasdam seditionum suspiciones.* — At *artificiosam extenuationem* eam esse ex Mureti ad hunc locum adnotatione ipse docuit: Bootius autem illa verba § 3 ita explicat: „Extenuat Ti. Gracchi conatus, ut Catilina ei oppositus tanto foedior videatur, eodemque artificio utitur § 4. Cicero quoties causa, quam agebat, postulabat, aliter de multis iudicabat, quam ubi nihil vetabat quonimus animi sententiam expromeret" cet. Non debuit igitur idem h. l. ad *honestarunt* adnotare: „Non optime hoc convenit in eos, qui Gracchos interfecerunt, siquidem Tiberius mediocriter labefaetavit statum reipubl. (§ 3), Caius propter quasdam sediti-

onum suspiciones (§ 4) occisus est." Nec probabile vero esse videtur quod addit: „Ipse orator quum sentiret, deseruit ordinem nominum verum, et propterea *Saturninum* primo loco nominavit." Equidem potius credo oratorem, quum verus ordo, *Gracchorum et Flacci et Saturnini* eius auribus minus placeret, a proximo incipientem inverso ordine, quod non raro fieri videmus, enumerasse. Quam vere autem illa observaverit B., pro diversa causa aliter saepe iudicare Ciceronem, cum in aliis, tum in his, multis locis probari potest. Quum enim dicat: *Ti. Gracchi conatus perditos vindicasse Scipionem* (de Offic. I, 30, 109); *Ex eius dominatu Scipionem in libertatem rem publicam vindicasse* (Brut. 58, 212), alia aliis locis similia; idem hoc dicit pro Milone 5, 14: „Ille dies, quo Ti. Gracchus est caesus, ille quo Caius, ille quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e re publica, rem publicam tamen vulnerarunt." Quid mirum igitur eum etiam h. l. pro re alio quodam modo de iis esse locutum? Praeterea Cicero verbis illis *se honestarunt* non tam suum de interfectoribus iudicium profert, quam aliorum de ea re opinionem famamque sequitur: quemadmodum Ti. Gracchum iure interfectum Scipioni Africano visum esse memorat pro Mil. 3, 8, de Orat. II, 25, 106; Mucium Scaevolam arma, quae privatus Scipio sumpsisset, Ti. Graccho interemto, iure, optimo sumpta defendisse, pro Planc. 36, 88. alia eiusmodi.

ne quid invidiae. „Dicendum fuisset *ne qua invidia. Ne quid invidiae* recte sese haberet in partitione." R. — Non satis intelligo, quid sibi velit illud *in partitione;* sed rogo, recte an male dicatur: *vereor ne quid mali ex ea re mihi nascatur? Ne qua invidia* tum dici posset, si nulla adhuc invidiae mentio esset facta; sed quum genus invidiae iamdudum definitum sit, omnino dicendum est: *ne quid invidiae.* cf. etiam B.

mihi in posteritatem redundaret. „At aliquid non *redundat alicui*, sed *in aliquem.*" R. — Vix tamen dicere potuit: ne quid invidiae *in me in posteritatem* redundaret. Quid igitur? An delendum *mihi*, quod ab Halmio recte fieri contendit Bootius? Male tamen eundem dicit *acquievisse in sequentibus aperte cor-*

ruptis: quare ita corrigit: *in me ob severitatem redundaret.* Vides aeternum eum bellum gerere cum locutione *in posteritatem*, quod impium tamen esse, quoniam non cum barbaro, sed cum cive geratur, supra ostendimus ad § 28. Sed legendum esse *invidiae in posteritatem*, vel hinc apparet, quod his verbis respondet orator ad ea, quae Respublica locuta erat: „An *invidiam posteritatis* times?" Tum causa invidiae satis indicatur adiunctis, *hoc parricida civium interfecto*, i. e. ne quid invidiae *ob interfectum hunc parricidam* redundaret, post quae languerent, vel potius vacarent verba *ob severitatem.* Recte igitur, ut mihi videtur, in his verbis acquievit Halmius; minus recte delevit *mihi*, quo nec carere facile sententiam posse existimo, nec caussam quidem video, cur illud deleatur. Nam quod R. putat non dici *redundare alicui*, fallitur: dicit enim Cicero ad Q. Frat. III, 9, 1: „quod quidem bonum *mihi* nunc denique redundat, ut his malis" cet. Cuius rei etsi nunc alia exempla mihi non suppetunt, quin inveniri possint nullus dubito, quum tanta sit inter *dativum* et praepositionem *in* propinquitas, ut saepe nulla aut parva quidem differentia alterum pro altero ponatur. Praeterea ipsius verbi ratio, quod plerumque notionem habet *proficiscendi*, *efflorescendi* (cum quo verbo coniunctum legitur de Orat. I, 6, 20) nequaquam obstat quominus etiam cum dativo construatur, quod hic fieri ob sequens *in posteritatem* nemini mirum videbitur.

invidiam virtute partam. „Recte dicitur latine *gloriam sibi parere;* at invidiam parere non item. Romani in ea re dicebant *conflare invidiam*, quod etiam a rhetore nostro positum est § 23." R. — At illic dicit: „*si mihi* conflare vis invidiam" et vehementer dubito, an dici possit *sibi conflare invidiam.* Quidni autem eodem iure dicatur parere invidiam, quo *odium parere?* Sed h. l. recte omnino illud dictum esse, ipsius Rinkesii testimonio iudicamus. Recte enim dici fatetur *gloriam sibi parere:* Cicero autem *invidiam virtute partam* non invidiam esse putat, sed *gloriam.* Strenue hunc locum vindicat B., quem miror tamen in fine Mureti ad hunc locum verba sua facere: „non ἀμέσως invidiam parit virtus, sed virtus gloriam, invidiam

gloria;" in quibus notum eqnidem summi viri acumen desidero. Non enim quaeritur, *quid pariat* invidiam? sed, *quid sit invidia virtute parta?* Quomodo autem, quum gloria invidiam pariat, parta invidia gloria esse possit, non magis capio, quam si quis dicat: mater quum pariat, quod nascatur matrem esse.

§ 30. *quamquam nonnulli sunt, qui aut — non videant, aut dissimulent* cet. „Orator quid dixerit ipse non cepisse videtur. Obiicit autem senatoribus, *quos alloquitur*, in eo ordine *fuisse*, qui *satis stupidi et hebetes* essent, *quod* non *intellexissent* coniurationem *fieri*, vel *satis improbi*, *quod* cet. et sic porro." R. — Vides, quam confuse, quam falso, quam male latine haec omnia dicantur, et a tali censore tamen orationem, cuius vix ullam particulam intelligit, abiudicari! Cui autem cognita est et haec, et pro Murena oratio, unde *totum hunc locum expressum esse* dicit, statim argumenti futilitatem perspicit, et Rinkesium tempora ac res confundere. Ceterum cf. Bootius, qui recte haec exponit. Minus recte idem hoc dicere videtur: „Pungit me h. l. *quamquam*, quae particula vim habet corrigendi. — Si quid video, opus est particula adversativa *sed*." Cur magis h. l. pungit, quam § 22 et 24, ubi eodem modo haec particula adhibetur, quae plerumque non tam corrigendi, quam *restringendi* vim habet, nec multum saepe diversa est ab adversativa coniunctione *tamen?*

in Malliana castra. „Haec verba sunt supervacanea et *insulse* interposita: in codd. nonnullis *Malliana* omittitur." R. — Cui gratias agens pro invento B. haec verba uncis inclusit dicens: „satis erat dixisse, *quo intendit.*" Satis profecto, si Spartanus quidam loqueretur; sed iam loquitur orator Romanus, quem nusquam eximie brevitati studere videmus, sed numero plus auribusque tribuere. Quod autem in nonnullis codd. abest *Malliana*, parum probat, sed multo plus id, quod in his ipsis legitur tamen *castra.* Nec multum prodest Rinkesio locus, quem e Cicerone affert, unde nimirum, quasi haec quaestio sit, discamus, *quid sit intendere*, p. Mur. 9, 22: „ille, ut eo quo intendit mature cum exercitu perveniat," i. e. *quo iter intendit*, di-

rigit. Dicendum erat, *eo, quo iter intendit,* nam latet in *demonstrativo* quod nostro loco diserte additur, ut perveniat *in eum locum,* quo intendit. Sed adeo non *insulse interposita* illa esse existimo, ut summa etiam sententia iis contineatur, atque interposita potius videantur verba *quo intendit.* Etenim hoc maxime oratorem studere iam saepius vidimus, ut ostendat ultro Catilinam in castra profecturum esse. Quod quum aliis locis, quantum potuit, aperte declaraverit, quid causae est, cur h. l. ubi ad Reipublicae voces respondens actorum suorum quasi rationes reddit, et quae in secundo capite obiter tantum attigerat, ulterius exponit, quum iam ad finem vergat oratio, tectius idem suppresso castrorum nomine significare, quam iterum apertis verbis dilucide planeque eloqui malit? quod quo magis confirmet, addere etiam illa *quo intendit* eum existimo. Dissentio igitur non uno nomine a Rinkesio dicente: „Non opus erat iterum senatoribus (*licet stultis et imperitis* secundum rhetorem nostrum) in mentem revocare Catilinam in castra Malliana iturum"; verum haec ita accipienda esse censeo: Nunc intelligo, si iste, *quo intendit* (quo intendere eum apertum est), in Malliana castra pervenerit, neminem fore cet. Tum pro *stultis et imperitis* eum voluisse opinor *improbis et imperitis:* quamquam haec verba minime ad *senatores* referenda esse recte ostendit B. Denique *licet,* quod apud bonos scriptores vim verbi habet, non *coniunctionis* tantum (quod saepius facere solet), sed etiam *adverbii* loco eum habere videmus.

hanc pestem reprimi. „Indicat coniurationem. Sed *pestis* tollitur, non reprimitur, neque comprimitur. Reprimimus enim id, cuius *impetus* est." R. — Quem igitur *impetum* habere ei videntur *impudentia, consuetudo peccandi, obiurgatio suscepta, fuga hostium,* multa alia, quae a Cicerone aliisque *reprimi* dicuntur? Fingit sibi latinitatem Rinkesius, non sequitur exempla veterum; quin ea, nisi sententiae respondeant, suo arbitratu condemnat. Quum dicit e. gr. Cic. ad Att: XI, 15: „et cetera quae fletu *reprimor,* ne scribam," nullum *impetum* indicat, sed fletu, lacrimis *se impediri,* ne scribat. ibid. X, 9: Dubitabat nostrum nemo, quin Caesar itinera *repressisset* — volare dicitur" cet.

i. e. quin *retardasset*, *cohibuisset*. Simili ratione h. l. dicit *pestem paullisper reprimi*, malum in re publica paullisper *prohiberi*, *retardari*, non in perpetuum *sedari* posse. Quid quod in ipsis etiam morbis hoc vocabulo veteres utebantur? cuius generis exempla apud Celsum, Plinium, alios reperiuntur, unde *medicamenta reprimentia* dicuntur Celsi VI, 6 et 16. Etiam hoc nomine igitur *pestis* dici potest *reprimi*.

ceteros undique collectos naufragos. „Iubet Halmius conferre pro Sulla 14, 41. *patrimonii naufragus*. Apponerem multa si opus videretur, ex quibus ut ex exemplo allato appareret, *naufragus* et *naufragium* si translate ponuntur, non nude poni, sed adiuncto genitivo." R. — Ego conferre hanc regulam iubeo: *eum, qui nimium probet, nihil probare*. Neque enim probandum erat, *adiuncto genitivo* dici *naufragus*, et recte non opus esse ipsi videtur multa exempla apponere, quibus probet quod ceteroquin satis notum est. Quomodo autem hinc probari possit, *non nude poni* illud vocabulum non capio; scire enim Rinkesium arbitror, ex affirmantibus negativam conclusionem deduci non posse. Nisi forte inde, quod multos divites numerare quis possit, sequi existimat, nullum pauperem esse. Sed *nude poni posse naufragus* iam demonstrare conatus est Bootius, quem tamen in eodem, quo Halmium, errore versari video. Hic enim (quod male intellexit R.) idcirco locum laud. contulisse videtur, ut *naufragos* h. l. eadem significatione dici doceret, atque illic *patrimonii naufragus*: B. item ex alio Ciceronis loco *homines omnibus rebus nudatos* ἁπλῶς *naufragos* appellari posse ostendit. Mihi vero non tam *patrimonii*, quam *patriae*, ut ita dicam, ac *civitatis naufragos* significare orator videtur. Quemadmodum enim *civitatem* cum *navi* saepe comparari videmus; sic qui civitate expulsi, vel quacunque de causa ex ea discedere coacti exsules patria carent, *naufragi* et dici iure possunt, et vero etiam appellantur. cf. Cic. in Pison. 29, 43: „C. Marius, quem Italia servata ab illo — Africa devicta ab eodem *expnlsum* et *naufragum* vidit." Tali igitur notione etiam h. l. dici cum suadent verba *eiecerit* et *eduxerit*, tum e tota sententia apparet. Hoc non videns Bootius, Ernestum secutus,

vocem seclusit, qua carere sententia non potest, et sine causa addit: „Nam non de illis solis, sed de aliis quoque Catilinae sociis hic cogitandum est." Ut enim Catilina, si *se eiecerit*, et illi quos secum *eduxerit*, sic alii ex suis civitatibus eiecti atque in castra profecti dicuntur *naufragi*, quos *undique collectos* si *eodem aggregaverit*, extinctum atque deletum iri rei publicae pestem auguratur.

Stirps ac semen malornm omnium. „Stirpem tolli posse et extingui, non est quod dubitemus; *extingui vero et deleri semen omnium malorum* a nullo unquam fiet." R. — Recte Bootius non sequendam iudicat scripturam multorum codd. *malorum hominum;* hi ipsi enim sunt, opinor, *stirps ac semen* malorum omnium. Nec maiorem quidem in his hyperbolem esse video, quam § 12. in verbis, *vitam omnium civium*, inque aliis similibus, de quibus diximus: notat enim *omnis*, *cuiusvis generis malorum.* Egregie autem hunc locum illustrari video illis, quae dicuntur Or. Cat. II, 10, 23: „In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri cet — qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiamsi Catilina perierit, scitote hoc in re publica *seminarium* Catilinarum futurum."

CAPUT XIII.

Postquam multa disseruit de eximia Ciceronis arte in perorationibus conficiendis, quantumque in hoc genere prae ceteris oratoribus valeat, demonstravit, haec dicit Rinkesius: „quodsi Cicero revera hanc orationem habuisset, post *calamistros* et *tinnitus*, quibus haec declamatiuncula referta est, aliam perorationem is dixisset, qui post omnia perorationem inflammantem, restringuentem concludere praeceperit Orat. 34, 122." — Igitur *aliam perorationem* dicere debuit orator. Vellem docuisset Rink. *qualem;* nam *aliter* agendum fuisse facilius est dicere, quam, *quo modo*, ostendere. Sed ipsum audiamus Ciceronem, qui l. l. (c. 35) ita prosequitur: „Has partes quemadmo-

dum tractet singulas, difficile dictu est h. l.: nec enim semper tractantur uno modo. — Haec enim sapientia maxime adhibenda eloquenti est, ut sit temporum personarumque moderator. Nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus eodem modo dicendum arbitror. Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcumque decebit, poterit accommodare orationem." Mihi vero hanc perorationem ad id quod decebat satis accommodasse orator videtur, nec quatenus ab aliarum huius generis orationum, e. gr. philippicarum, epilogis tantopere differat, deprehendere potui. Ab eo tamen, qui totam orationem incognita causa damnaverit, quid in peroratione dici deceat iudicari nullo modo posse mecum intelligis: qui talibus etiam argumentis sententiam suam confirmare ausus est. „Totum caput ultimum languet; ad Catilinam, quamvis in eum oratio habeatur, nihil dixit orator, nisi haec: Hisce ominibus Catilina — proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Praemittuntur pauca ad senatores, ad quos *in* tribus capitibus superioribus continuo verba fecit, excepta patriae querimonia de Cicerone, ita ut diceres, non Catilinae, sed senatorum causa haec esse scripta." — *Ad Catilinam nihil dixit nisi* cet. Quid igitur amplius h. l. ad Catilinam dicendum erat, post omnia quae decem capitibus ad eum locutus est? Num in oratione pro lege Manilia, quae tota Pompeii laudatio est, in peroratione multa de Pompeio dicuntur? Num in aliis perorationibus de iis praecipue dicere solet Cicero, in quos, vel pro quibus oratio habetur? — *Ad senatores tribus capitibus superioribus continuo verba fecit.* Vide, quam parum curet, ut vera saltem dicere videatur. Ex tribus illis capitibus primum (cap. X) totum ad Catilinam conversum est, ita ut senatorum ne mentio quidem fiat: duo reliqua ita occupat Rei publicae querimonia et responsio Ciceronis, ut Patribus vix ullus locus supersit, nisi quod initio cap. XI eos hortatur, ut diligenter percipiant quae dicturus sit. Vere tamen, quod igitur frustra R. oratori vitio vertit, non *Catilinae* magis, quam *senatorum causa* haec omnia ab oratore dicta esse, nec tam *ad Catilinam*, quam *in eum* orationem esse habitam, ut eius consilia patribus aperiret, eiusdemque ingenium omnibus magis notum faceret, atque omnem spem successus ipsi eriperet, non semel in superioribus demonstratum est.

§ 31. *maturitas erupit.* „Recte *furor*, *coniuratio* erumpere potest in aliquod tempus, sed *maturitas coniurationis* non erumpit." R. — Est quasi dicas: *ulcus*, *fistula* erumpere possunt; sed *maturum ulcus* erumpere non potest. Atqui ipsa maturitas facit, ut erumpat. Dici autem aeque puto *maturitas ulceris*, *coniurationis*, *furoris* cet. atque *altitudo montium*, *viae longitudo*, *gladii acumen*, alia eiusmodi poëtis in primis, sed oratoribus etiam aliisque usitata. Bootio praeterea *in nostri consulatus tempus erupit* falsum videtur, pro quo dicendum putat *in nostro consulatu*, ut Orat. pro Sulla § 67; aliam enim rationem esse dicit loci ex oratione pro Mur. 82: „omnia, quae per hoc triennium agitata sunt — in hos dies, in hos menses, in hoc tempus erumpunt," quem locum equidem nostro similimum esse censeo. Nam quod addit ille: „Agitur de tempore instanti. Contra quum Cicero in Catilinam diceret, consulatus tempus iam maximam partem praeterierat," nihil magis illic, quam h. l. definitum tempus indicari video; sed verbis *in hoc tempus* per gradationem post *in hos menses*, ipsum *consulatus tempus* significari existimo, cuius tunc maiorem etiam partem praeteriisse constat. Sed non de tempore tantum quo illam orationem haberet, verum de omni consulatus sui tempore illa se dicere, orator ipse ostendit, quum ita pergat. „Qui locus est, iudices, quod tempus, qui dies, quae nox, quum ego non ex istorum insidiis ac mucronibus — eripiar atque evolem." Quae vere eum locutum esse, et iam statim in initium consulatus erupisse furorem et audaciam Catilinae, testis est Sallust. cap. 24 et 26. Non erat igitur, mea opinione, quod B. *furoris et audaciae maturitas erupit* corrigeret in: *furoris vis et audacia emittitur — ac erumpit.*

ex tanto latrocinio. „At nondum latrocinium dici potest coniuratio, quam Catilina in urbe inierat." R. — At iam castra erant contra rem publicam collocata, § 5; in armis erat eius legatus Mallius, § 7; iam nocturno impetu Praeneste occupare conatus erat, § 8; iam ipse ad castra profectus esset, nisi prius Consulem opprimere studuisset, § 9; iam praemissi erant, qui ad Forum Aurelium eum praestolarentur, item aquila illa ar-

gentea, quod signum *latrones* (Sallust. c. 28) sequerentur, § 24; dicit ipse orator § 27: „tantum profeci tum — ut id, quod esset a te scelerate susceptum, *latrocinium* potius, quam bellum nominaretur." cf. Orat. Cat. II, 6, 14: „Etenim, credo, Mallius iste centurio, qui in agro Faesulano castra posuit, bellum P. R. suo nomine indixit, et illa castra nunc non Catilinam exspectant." Ubique igitur sibi constare oratorem videmus, atque ex multis etiam Sallustii locis non in urbe tantum coniurationem iniisse Catilinam, sed per totam Italiam dispersam eam fuisse, ac iusto nomine *latrocinium* vocari, apparere potest. Ceterum qua notione h. l. accipiendum sit vocabulum, recte docuit B.

cura et metu relevati. „Voc. *relevatus* in hac § praeterea bis occurrit; *relevatus istius poena* et *relevari videntur.* Cicero solet uti simplici *levatus.*" R. — Si hoc ita dicit: Ciceronem uti non solere verbo *relevare*, plurimis exemplis contrarium probari potest: sin autem, in participio tantummodo *levatus* ei in usu esse, praeter hunc locum ei oppono Orat. Cat. II, 4, 7; neque ullam probabilem causam video cur, quum toties hoc verbo utatur, participio *relevatus* omnino ei sit abstinendum. Etiam Bootio copiae Tullianae non esse videtur, *intra paucos versus ter uti eodem verbo, relevati — relevari — relevatus*, qui verius saltem loquitur, quam R., qui *voc. relevatus* ter occurrere falso contendit. Sed quid obstat, quominus scriptor idem verbum, si sententia fert, saepius repetat, modo caveat, ne ingratus inde sonus oriatur? cuius rei permulta e Cicerone exempla proferri posse existimo. Quod autem h. l. idem verbum recurrit, *morbi* comparatio facit, ubi ad similitudinem indicandam eodem verbo utendum erat. Nil opus igitur esse videtur, pro *relevati* legamus *relaxati*, neque rationem probo, quam addit B.: „quod propter verba *ad breve quoddam tempus* aptissimum est;" non video enim, qui *relaxari* possimus *ad breve tempus*, non *relevari.* Tum *cura, metu*, aliis animi motibus *relevari* multo quidem melius dici arbitror, quam *relaxari*, cuius exempla me videre non memini.

periculum residebit et erit inclusum in venis atque in visceribus reipublicae. „Qui recte cogitat, haec non dicet. Periculum enim non est in ipsis rebus, multo minus in hominibus ipsis, sed in opinione hominum. Malum, inimicitiae dici possunt residere." R. — Num qui haec dixit recte cogitavit? Quid? si dicimus v. c. *ex ea re imminet periculum*, nonne in ipsa re insit necesse est: *bellum periculosum* nonne idcirco dicitur, quod multa in eo sint pericula? Quum Cicero dicit: „malo esse *cum timore* domi meae, quam *cum periculo* alienae," nonne *periculum* opponit *timori*, i. e. *opinioni periculi?* Sic Sallust. B. C. 42: „Namque illi — plus *timoris*, quam *periculi* effecerant." Quomodo autem id, quod *in opinione hominum* est, alter efficere possit? Liv. XXI, 13, 2: „cum ille aut vestra aut sua culpa manserit apud hostem — sua, si *metum simulavit*, vestra si *periculum est* apud vos vera referentibus." Ergo sua culpa, si *falsam periculi opinionem praetendit*, vestra, si *vere periculum a vobis imminet.* Apparet igitur non in rebus tantum, sed etiam *in hominibus* periculum latere posse, si male nobis velint, neque Bootio assentior illud acute a Rinkesio observatum esse, nec vero ab oratore *venenum* scriptum esse credo. *Residere* autem periculum eadem ratione dicitur, ac § 12: „Residebit in re publica reliqua coniuratorum manus;" hi enim auctores erant illius periculi, eratque ita cum iis coniunctum. Quae deinde adiungit R.: „quodsi periculum inclusum erat, facile erat curam habere ne exiret vel erumperet," ad risum captandum potius dicta vides quam ad sententiae rationem explicandam. Debuit autem videre verba *inclusum in venis* cet. iam ad morbi comparationem pertinere, quae continuo sequitur. Inclusum enim inque venis et visceribus reconditum malum multo magis timendum est, quod ut exeat atque erumpat, quo morbi periculum avertatur, magnam curam adhibere medicos videmus. Simili modo cavillari eum vidimus ad verba „inclusum in tabulis" § 4.

aestu febrique iactantur. „*Febri iactari* plane novum est." R. — Expressum est de Graeco νόσῳ χειμάζεσθαι, et legimus apud Horat. Serm. II, 3, 121: „Maxima pars hominum mor-

bo iactatur eodem." Aliter paullo interpretatur B., cui fortasse Celsi illud in animo erat, II, 4: „Mali morbi testimonium est — iactare bracchia et crura."

vivis reliquis. „Non recte comparatio procedit, nam non *reliquis vivis* dicendum *fuisset*, sed *reliquis superstitibus.*" R. — Vim argumenti non capio, nisi forte in Ernesti errorem incidit, qui *dativum* esse putans corruptam lectionem arripuit *civibus reliquis.* Quem Bootius a iusta Wolfii reprehensione defendens, hunc dormitare dicit ita explicantem: *si socii eius in civitate remanebunt.* Mallem *in vita* dixisset; sed tamen recte eum vidisse satis intelligitur. Verba enim *vivis reliquis* opponi praecedentibus *istius poena*, nulla eget disputatione. Haec autem respondent illis: „Quodsi ex toto latrocinio iste unus tolletur," atque ita indicant: *istius morte*, cui quomodo male opponatur *vivis reliquis* (sociis), et cur dicendum sit *reliquis superstitibus*, non video.

vehementius ingravescet. „Verbo *ingravescendi* iam inest significatio augendi, ita ut *ingravescit morbus* significet, morbum fieri vehementiorem. Quomodo hic igitur huic verbo adiungi possit *vehementius* non video." R. — Facile concedo dici non posse: morbum *vehementius vehementiorem* fieri; modo mihi concedatur, multum hoc differre a *vehementius ingravescere.* Ut enim *inclarescere*, *innotescere*, *irraucescere*, alia notant *clarum*, *notum*, *raucum fieri* cet., sic verbi *ingravescere* propria significatio est *gravem fieri*, deinde crescere, augeri, augescere. Quodsi dicere nemo dubitabit v. c. opes *valde* augentur, dolor *vehementer* crescit, cur non aeque dicat *morbus vehementer ingravescit?* Iam h. l. in comparatione, quum praecedat *gravius vehementiusque afflictantur*, optimo iure dici existimo: sic hic morbus — *vehementius ingravescet* — Nulla igitur causa fuisse mihi videtur ut Bootius corrigeret: „relevatus istius poena *vehementi*, *salvis* reliquis ingravescet."

§ 32. *Secernant se a bonis.* „non recte se habet. Secernimus enim quae antea commixta et confusa erant, quod semper

mente, consilio nostro fit." R. — Nisi commixti adhuc essent cum bonis, *secernere* profecto se improbi non poterant, nec *secedere*, nisi uno loco essent. Quod quomodo, homines quum essent, sine mente et consilio facere deberent, non intelligo. Sed quantopere ipse varias huius verbi significationes *confundat* et *commisceat*, ex iis locis apparere potest, quos confert ad sententiam suam confirmandam; Cic. de N. D. II, 47, 122: „Dedit autem eadem natura belluis et sensum et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero *secernerent pestifera a salutaribus.*" Erantne igitur haec *antea commixta et confusa?* Et qua *mente et consilio* belluae istud faciant? Alter locus est Cic. de Amic. 25, 95: „*Secerni* autem blandus amicus a vero et *internosci* potest adhibita diligentia." Vides eum non animadvertere his locis *secernere* longe alia ratione dici, ac notare *dignoscere, distinguere;* nostro autem loco *segregandi* significationem habere. Vere Cicero, ut multa: „Ridiculi sunt, qui quod ipsi experti non sunt, id docent ceteros."

muro secernantur a nobis. Recte Rinkesius improbat *discernantur*, quam lectionem Halmius et Bootius amplectuntur, dicens: „Ex significatione verbi *discernendi* apparere potuit, Ciceronem hoc *sensu* non uti eo verbo. Discernere est, *unam* rem ab *alia* internoscere — et hoc certe murus non facit." Nollem autem Kritzii adnotationem ad Sallust. B. C. 25, 3. huc contulisset: „discernere vero est, rem aliquam in duas partes seiungere, discrimineque, quod inter utramque intercedit, explorato, iudicio in alterutram inclinare." Si enim *seiungendi* hic admittas significationem, recte dicatur *muro a nobis discernantur.* Sed discernere, adjuncta praepositione *ab* unice habet *internoscendi, diiudicandi* significationem, neque ita h. l. convenit; cum accusativo vero positum notat *segregare, dividere, discrimen facere.* quas significationes coniungens Kritzius diversos casus non satis distinxit. Quae deinde dicit R.: „Sicut igitur vulgata scriptura legitur, absurda est haec gradatio" (non debuit, postquam alienum vocabulum esse demonstravit, addere: „quae, etiamsi *discernantur* scribatur, tamen ma-

net"), haec igitur sine causa dicta esse mihi videntur. Nam nihil magis in his gradationem esse puto, quam § 10 in verbis: *non feram, non patiar, non sinam,* ad quae B. Rinkesii dubitationi occurrens haec adnotat: „Nulla in his est gradatio, sed congregantur verba idem significantia," quod exemplis illustrat, quibus et hoc annumerari potest. Nec scripsisse oratorem credo *disiungantur,* quod Bootio videtur, sed eodem verbo eum uti voluisse ad ea, quae minus definite ante dixerit, *secernant se — unum in locum congreqentur,* ita amplificanda, ut iam aperte ex urbe discedendum iis esse ostendat, nec tamen, quod valde eam cavere scimus, praecipere iisdem videatur, ut in Malliana castra proficiscantur.

obsidere cum gladiis curiam. „Hoc dici non potest pro: *obsidere cum hominibus armatis.*" R. — Immo hoc dici non potest; nam nec latinum est *obsidere cum hominibus,* neque *homines armati* sunt *gladii,* sed *homines cum gladiis,* quod exemplo confirmat B., qui ceteroquin obiectionem non perspexisse videtur. Ipsi igitur *armati* (id enim est *cum gladiis*) curiam obsidebant; cf. quae diximus ad verba *te stetisse cum telo* § 15. Quum vero Cicero de Antonio dicit, Phil. VII, 5, 15: „armis obsidet senatum", intelligit, *armatis hominibus* (non tamen *cum hominibus armatis*). Ex iis quae deinde more suo dicit R.: „Dicendum *fuisset,* quod posuit Sallust. B. C. 49, *licet* consilio contrario fieret: qui praesidii causa *cum telis erant circum aedem Concordiae,*" apparet ex eius opinione Ciceroni dicendum fuisse: *esse cum telis circum curiam.* Ad quam, cui elegantius id dictum videatur, accedat.

Sit denique inscriptum in fronte uniuscuiusque, quid de republica sentiat. „*Denique* significat quod nos dicimus: *uno verbo.* Sed ridiculum est nunc ultimo loco ponere: ut inscriptum sit cet." R. — Haec quomodo cohaereant non video; nam si *denique* hic significat *uno verbo,* quid sibi volunt illa *nunc ultimo loco ponere?* Sed confundere videtur, ut solet, varias huius vocabuli significationes, *quid multa? ne multa, ut brevi praecidam* (quemadmodum paullo ante: *muro denique secernantur*) et

postremo, qua notione h. l. adhibetur. Ridiculum igitur putat haec postremo loco dici. Quam ob rem? Num melius erat in principio ea ponere? Immo vero prudenti consilio ab oratore in fine ponuntur, quae postremo loco dicenda erant. Agit enim orator de secretione bonorum et improborum, quos certis signis internosci posse in tanto rei publicae periculo omnino necesse erat. Postquam hos admonuit ut secedant, ut a bonis se secernant, ut ex urbe denique discedant, quo desinant bonis insidiari atque urbi exitium parare, postremo ad reliquos cives se convertit, postulatque ut omnes quasi in fronte inscriptum gerant, quid de re publica sentiant, ut verbis factisque palam faciant utris partibus sint addicti. Quae adhortatio tamen, quum eos potissimum cives spectare videatur, qui sive metu quodam, sive incredulitate dubii adhuc erant, quid agerent, aut qui misericordia moti, vel ob familiaritatem propinquitatemve Catilinae mediam fortasse aliquam viam ingredi malebant, ne in hac commemoratione ipsorum bonorum mentionem facere omittat, sequentia adiungit: *Polliceor vobis hoc cet.* Quae vero deinde dicit R. vix sanae rationi convenire videntur: „neque adeo necessarium erat, si improbi secessissent, et se a bonis secrevissent; multo minus opus hoc erat si vera sunt quae paullo post leguntur: Catilinae profectione omnia patefecta, illustrata — fore." *Si secessissent!* Et quomodo secedere iam nunc potuerunt, quos eodem fere temporis puncto admonuit, ut *secedant seque secernant*, quo reliquos cives hortatur, ut, quo melius boni et mali dignosci possint, omnes quid de re publica sentiant quasi vultu declarent. Tum *vera esse* quemodo *iam nunc* possunt, quae sic demum *futura* praedicit orator, si summa erit omnium bonorum consensio, quam fore pollicetur, si unusquisque prae se ferat, qua mente erga rem publicam sit affectus? Et istis ineptiis tamen subscribit B.!

Polliceor — fore tantam in vobis auctoritatem. „Sed hoc ab ipso senatu pendebat, ut sustineret auctoritatem suam — Consul illud polliceri non poterat." R. — At idem tamen ad Div. II, 6, 11. dicit: „De ipso T. Annio tantum tibi polliceor: te maioris animi, gravitatis, constantiae — habiturum esse neminem." pro

domo sua 7, 7. (quisquis auctor est, certe Latinus): „quod nos de Cn. Pompeio polliceremur" cet. Nescire noster videtur *de altero polliceri* idem esse ac *profiteri*, *confirmare*, quae verba cum illo conjuncta leguntur ad Div. V, 8, 11. et de leg. Agr. II. in fine. Immo *augurandi* interdum ei tribuitur significatio, unde de portentis etiam atque ominibus usurpatur, cf. Flori I, 3, 7. II, 7, 7. alii. Ergo polliceri illa Consul poterat, quae futura praevidebat, vel augurari saltem quem eventum fore sperabat. Bootio tamen recte monere R. videtur, et male haec cum praecedentibus cohaerere, „et per se (ait) orator polliceri non poterat, Catilina profecto omnia manifesta fore." Aut non capio quid dicat *per se*, aut nihil dicit; nam ita pollicetur, si mali se secernant et omnes boni consentiant. Quae autem deinde dicit: „Orator postquam improbos urbem relinquere iussit, pollicetur quid futurum sit *uno Catilina profecto*, *in urbe manentibus reliquis*," nemo facile veram interpretationem iudicabit verborum *Catilinae profectione*, quibus hoc fere significare orator videtur: sibi persuasum esse, si semel audax iste homo ex urbe profectus fuerit, fore ut omnium bonorum consensione et improborum secessione, vel certe secretione brevi tota res patefacta, illustrata sit cet. Nequaquam igitur Bootio concedo haec *misere corrupta* esse, quaeque in eorum locum substituere conatus est nullo modo mihi placere fateor.

in omnibus bonis consensionem. „Latinum non est, sed ita scripsisse videtur rhetor, ut praepositio *in* adhiberetur etiam in hac sententiae parte ut est in omnibus reliquis. Dicendum *fuisset*, consensionem *inter omnes bonos*" R. — Nonne mirandum est eum videre hanc sententiae partem respondere prioribus, non videre ob hoc ipsum praepositionem *inter* alienissimam esse? Male autem iungit praepos. cum vocabulo *consensionem*, quum iungenda sint: *tantam fore in omnibus bonis* consensionem, ut *tantam diligentiam in consulibus*, cet. Sed ut aliis locis legimus *consensio bonorum* vel *bonorum omnium* (quod Ravii auctoritate negat B., ego Ciceronis affirmo, ad Div. I, 9, 13.) sic h. l. praepositionem genitivo succedere existimo, atque ut simili ratione dicatur, tantam fore *in equitibus* virtutem, vel

equitum, eodem iure dici: tantam *in omnibus bonis* fore consensionem. Quo modo autem hic dici possit: *tantam in omnibus bonorum consensionem*, quod Bootio videtur, non video.

Catilinae profectione. „Profectio multo honestiore *sensu* solet accipi, quam qui in Catilinam cadat." R. — Quid igitur dicendum erat, quod in Catilinam caderet? Num *exsilio*? At in exsilium non iturum iam satis constabat. An *discessu*, *abitu?* At parum aut nihil hoc differre a *profectione* plurimis exemplis probari potest, quemadmodum in hac oratione nullo discrimine dicuntur: *egredi*, *proficisci* § 10, *exire* § 13, *discedere* § 18, *abire* § 20, cet. Sic Orat. Phil. I, 1: „Exponam vobis breviter consilium et *profectionis* et reversionis meae," et de eadem re in fine c. 2: „ea mente *discessi*." Caes. B. C. I, 27, 2: „Pompeius sive operibus Caesaris permotus, sive etiam quod ab initio Italia *excedere* constituerat, adventu navium *profectionem* parare incipit et, quo facilius impetum Caesaris tardaret, ne sub ipsa *profectione* milites oppidum irrumperent, portas obstruit" cet. Sic saepe Cicero et alii, atque etiam de *exsulum reversione* hoc vocabulo utitur Nepos V. Pelop. 3, 2.

patefacta, illustrata, oppressa, vindicata. „Bina ultima supervacanea sunt." R. — Ejusdem generis haec sunt ac § 10: „non feram, non patiar, non sinam." vide quae diximus § 32 ad verba *muro secernantur.* Sed quae h. l. dicantur luculento argumento esse contendit R., *quam turpe adhuc viris doctis impositum sit, qui hanc orationem genuinam esse existimaverint.* Constare enim inter omnes, *orationem a Cicerone esse editam aliquanto post coniurationem.* Ergo „imprudenter mentitur personatus Cicero, qui haec P. C. polliceatur: *ut profectione Catilinae omnia patefacta* cet. Nam constat coniurationem tum demum patefactam esse, quum Allobrogibus" et sic porro. Cui recte obiicit B., hoc potius indicio esse, vere a Cicerone habitam esse hanc orationem, quam a rhetore fictam, *qui quae postea facta essent, probe sciret et ab hac temporum confusione cavisset.* Postrema tamen verba mea non facio, sed in eo maxime errare Rinkesium video, quod ablativo *profectione tempus* indicari pu-

tet, quum sit ablat. *causae*. Non pollicetur enim, quod iam prius diximus, continuo post Catilinae profectionem omnia paefactum iri; sed coram senatu spondet pro se ceterisque bonis, tantam in omnibus fore consensionem, ut Catilina profecto omnia patefacta cet. videant. Donec hic adest, nihil audet polliceri, cuius in urbe praesentiam quantopere prae omnibus timeret, copiose exponit Orat. Cat. III, c. 7. Allobrogum legatos ad deprehendendam coniurationem multum contulisse, neque id praevidere potuisse Ciceronem quum haec diceret, negandum quidem non est; sed praeterquam quod Consulis diligentia et vigilantia in hac re haud parum adiuvit, absentia maxime Catilinae factum esse, ut tanta coniuratio tam facile tamque manifesto inventa atque deprehensa sit, l. l. § 17 diserte indicatur. Frustra ergo illa etiam in oratorem iacere R. videtur: „Quis vero serio adhuc contendet Ciceronem non *erubuisse* et *ausum esse* haec scribere sive paullo sive *aliquamdiu* post coniurationem?" Ipse potius erubescat tali sermone de Cicerone iudicare.

§ 33. *Hisce ominibus.* „Quibusnam? Ea quae praecedunt omina dici non possunt." R. — Recte haec castigat B. Comparentur ea quae notavimus ad *polliceor.*

cum rei publicae salute — proficiscere. „*Cum* solet indicare comitatum vel modum quo aliquid fiat. Igitur dici potest: facere aliquid cum incommodo suo, ita ut cum facto incommodum nostrum coniungatur, sed proficisci cum rei publicae salute cum sua peste, cumque coniuratorum exitio *ne in Catilina quidem fieri* poterat." R. — Postrema cur addat non intelligo; nam si itud omnino fieri nequeat, quid opus est dicere *ne in Catilina quidem:* si vero alicui, Catilinae profecto illa accidere poterant. Sed nimis angustam ille posuit definitionem; nam praeter *comitatum,* quae propria particulae significatio est, quo ceterae omnes sunt referendae, non *modum* tantum ac *rationem* notat, sed etiam *tempus, conditionem,* atque id quod ex actione quadam *sequitur,* cumque ea *coniunctum* est (quod perperam cum *modo* confundere videtur R.) v. c hoc *cum damno tuo* facies, i. e. ita ut damnum inde tibi oriatur: prodire *cum* magna om-

nium *exspectatione* i. e. prodeundo exspectationem commovere: *cum* magna *spe* suorum *profectus est*, ita ut ex eius profectione aliquid magnum sperarent, similia. Eandem nostri loci rationem esse, ac temere iudicasse Rinkesium videmus, cuius errorem etiam B. recte redarguit.

Tum tu Iupiter — arcebis. „Halmius *tum*, quod in nonnullis codd. non legitur, abiecit; sed quod ortum est monstrum *videtur.*" R. — Etsi non valde dilucide loquitur, ex iis quae sequuntur satis apparet, non Halmium, sed ipsum monstrum fovere, cum putet oratorem illa a Iove precari. Nam quamvis dnbitet *futurum indicativi* in precibus usurpari posse, tamen in hoc errore perseverans addit: „*Tum* in comprecationibus saepius adhiberi docet Muretus." At non preces has esse, verum augurari oratorem quid futurum sit, recte docuit B. Non debuit igitur R. suum vitium Halmio imputare, sed potius ei ostendere particulam *tum* idcirco omittendam non fuisse, quia adverbium temporale sit, quod ad proxime antecedentia referatur, hoc modo: *tum* — quum impium ac nefarium bellum patriae inferet — *tu, Iupiter — hunc et huius socios a tuis aris cet. arcebis.*

Statorem huius urbis. „In templo Iovis Statoris haec dici absurdum est." R. — Cur *in templo*, si alioquin absurdum non sit? Sed omnino negare videtur tali modo hoc cognomen adhiberi posse. Postquam enim *inde ortum esse* ostendit, *quod fugam Romanorum in proelio cum Sabinis stitisset*, quasi ita quaestio sit absoluta, affirmat: „igitur non vere *statorem urbis atque imperii* eum dicere poterat constitutum iisdem auspiciis, quibus *ipsa Roma.*" Obscure loquitur, quum sive imprudens, sive de industria duas sententiae partes ita confundat, ut sana sententia careant. Illa enim: *qui iisdem auspiciis — es constitutus*, per periphrasin cognomen *Statoris* indicant, quod in ipsis urbis primordiis a Romulo Iovi esset inditum: his vero significat, eum non nomen tantum gerere, sed vere Statorem i. e. *stabilitorem* urbis vocari. Quodsi Rinkesius dubitat, an tali modo cognomen illud adhiberi possit, inspiciat Velleium Paterculum, qui lib. II, c. 131 dicit: „Jupiter Capitoline ac stator

et auctor Romani nominis"; in primis Senecam de Benef. IV, 7: „Jovem illum optimum ac maximum rite dices, et tonantem et statorem: qui non, ut historici tradiderunt, ex eo quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio eius omnia, stator stabilitorque est." Haec philosophus: orator nec famam negligit, quum praesertim dicat *in templo Iovis Statoris*, et vero ampliorem illud cognomen significationem habere, et boni ominis esse urbi atque imperio ostendit.

a tuis aris ceterisque templis. „Igitur *arae* templa sunt nostro." R. — Ad haec optime respondet B., non attendit ad ea, quae deinde dicit, ubi Halmium *aris* omittere memoravit: „Supersedit tamen demonstrare an recte ita coniungatur adiectivum possessivum cum ablativo *ceteris* pro *ceterorum deorum*, quod an defendi possit vehementer dubito". Nolo quis existimet me Halmii lectionem adoptare; sed quod istud demonstrare supersedit, eiusmodi structurae tot apud Ciceronem exempla exstare eum putasse credo, ut non opus esset ullum proferre. Quod quoniam secus videtur Rinkesio, eius causa ex uno libro aliquot proferam, unde de reliquis possit coniicere. De Orat. I, 4, 15: „Ingenia vero *nostrorum hominum* multum *ceteris hominibus* omnium gentium praestiterunt;" pro *ceterorum hominum* ingeniis. ibid. 6, 23: ut *eorum* — auctoritatem *Graecis* anteponam", pro *Graecorum auctoritati.* ibid. 44, 197: „quum *hominum nostrorum* prudentiam *ceteris omnibus* et maxime *Graecis* antepono", pro *ceterorum omnium* — *Graecorum.* ibid.: „Si cum illorum *Lycurgo, Dracone* et *Solone nostras leges* conferre volueritis", pro *Lycurgi, Draconis legibus* cet. Apparere arbitror, si omnes Ciceronis libros percurras, infinitis exemplis probari posse, quam temere R. dubitaverit.

Sunt haec fere quae praeter ea, quae recte vindicaverat Bootius, in hoc libello animadvertenda haberem, quem vide an merito ineptum vocaverim. Quae autem in adnotationibus suis contra latinum sermonem peccare solet Rinkesius, alia literularum forma hic illic indicavi, non pauca quidem, sed longe tamen abest, ut omnia quae in iis reperiuntur vitia notaverim.

Iam vero non opus esse mihi concedes, puto, ut illa etiam recenseam, quae in priore disputationis parte minus bene latine dicta me offenderunt, quae attentus lector etiam sine meo indicio facile observabit. De ipsis autem, quae in introductione tractantur, rebus cur non agendum mihi esse decrevissem, initio epistolae causas tibi exposui, nec postquam vidimus, quibus internis argumentis nitatur illa abiudicatio, externa magnopere curare te existimo, neque desiderare ut inutili verborum certamine tempus perdamus. Ceterum quum iam haec typis mandarem, ecce aliorum etiam prodiisse in eandem disputationem clarorumque virorum animadversiones mihi nunciatur, ac vereri incipiebam, ne ab illis occupata foret quam ipse susceperam provincia. Quem metum tamen his lectis vanum fuisse cognovi. Vidisse enim te arbitror quae hisce diebus in diario *de Gids* V. Cl. E. I. Kiehl, in *Annalibus Heidelbergensibus* V. Cl. Chr. Baehr in eam disputationem castigandi causa scripserunt. Quae adeo non ab edendis his vindiciis me deterruerunt, ut et sententiam meam de huius opusculi temeritate ac vanitate confirmaverint, neque effecerint, ut operam perdidisse mihi viderer, metueremve ne haec edendo acta agere possem existimari. Brevibus enim verbis alter eorum, ut vidisti, consilii levitatem futilitatemque argumentorum verissime perstrinxit, nec locos ipsos nisi paucissimos attigit, multo minus singula enervare aggressus est. Ille copiosius quidem rem tractavit, sed ita, ut maiore ex parte suam operam collocaret in iis diiudicandis, quae a me sunt omissa, ac multis verbis de externis argumentis disputaret; de internis autem carptim quaedam eligeret, magis, ut videtur, eo consilio, ut comparationem quandam institueret Bootium inter et Rinkesium, quam ut quaecunque in huius adnotationibus reprehendenda essent notaret vindicaretque. Ergo, quum ne post eorum quidem operam causa sit cur haec supprimam, in lucem prodeat libellus meus, quem accipito tanquam pignus cum meae in te amicitiae benevolentiaeque, tum studiorum ardoris, quo non minus tecum, quam affinitate sum coniunctus. Vale atque, ut facis, me amare pergito.

AMSTELODAMI,

d. 10 m. Octobris 1857. P. EPKEMA.

ERRATA.

Pag.	3	s. f.	*legitur:*	ad utramque;	*legendum:*	in utramque.
„	11	s. f.	„	Agic.	„	Agric.
„	26	a. m.	„	*lua*	„	*tua.*
„	30	l. s.	„	iu	„	in.
„	62	a. m.	„	*deiccerit*	„	*deiecerit.*
„	98	p. m.	„	itud	„	istud.

Cetera, si qua reperiuntur, benevolus lector facile emendabit.